DE COMPOSITIONE TITULORUM CHRISTIANORUM

SEPULCRALIUM IN CORPORE INSCRIPTIONUM GRAECARUM EDITORUM

SCRIPSIT

DR. IULIUS RITTER.

BEROLINI

APUD S. CALVARY EIUSQUE SOCIUM

TYPIS DRAEGERIANIS (C. FEICHTII)
A. MDCCCLXXVII.

Iure F. Piperus cum in aliis quos de titulis Christianis scripsit libris tum in libello nuperrime edito[1]) iterum atque iterum quanto inscriptionum accurata cognitio usui sit explicavit. Neque enim de pontificum vitis solum aut de conciliorum actis multa ex eis intellegi posse V. Cl. rectissime ait, sed plurimum eas valere ad cognoscendos mores, consuetudines, religiones Christianorum aut vulgi Christiani, quod quid sentiret a rerum divinarum scriptoribus neglegi solebat.[2]) Mirum igitur videtur, quod viri docti de rebus ecclesiasticis disserentes perraro e titulis Christianis quem debuerunt fructum ceperunt. Non quo prorsus omissae sint inscriptiones: immo antiquioribus iam temporibus e scriptoribus quidam monumenta Christiana in rem suam converterunt; velut Godofredus Arnoldius saepius titulis sepulcralibus utitur ad certas res declarandas necnon in centuriis Magdeburgensibus quae vocantur nonnulla e monumentis petuntur. Ut vero is, quo dignae sunt, fructus ex eis percipiatur tantum abest, ut vel recentioribus temporibus a multis scriptoribus neglegantur. Kurtzius verbi causa in libro de historia sacra composito inscriptiones, tabulas pictas, omnia denique monumenta minimi ponderis esse aperte affirmat,[3]) Niednerus, Hasius, alii ne commemorant quidem. Cumque de titulis paganis plerique viri doctissimi disseruerint in diesque augeatur numerus inscriptionum vel editarum vel accuratius enarratarum ac nemo fere sit, qui in describendis Graecorum Romanorumve rebus curam earum abiciat, tractandis inscriptionibus Christianis usque ad nostra tempora paucissimi debitam operam navaverunt. Eo magis exoptatum fuit, quod hac aetate accu-

---

[1]) Ueber den kirchengeschichtlichen Gewinn aus Inschriften vornehmlich des christlichen Alterthums. Von Dr. Ferdinand Piper in Berlin. (Jahrbücher für deutsche Theologie Band XXI, Heft I. Gotha 1876.) [2]) Cf. Piper l. l. p. 49. [3]) Kurtz Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte. Mitau 1858, vol. I p. 5: »Die Denkmäler (die sogenannten stummen Quellen) z. B. kirchliche Gebäude, Gemälde, Inschriften, sind für die Kirchengeschichte meist nur von sehr untergeordneter Bedeutung.«

ratius de compositione titulorum Christianorum agi coeptum est cum ab aliis viris doctis — nomino de Rossium, Le Blantium, Krausium, — tum ab ipso Pipero, qui vir doctissimus et in libro praestantissimo quem de monumentis Christianis scripsit[1]) multa disseruit de inscriptionibus[2]) et de ipsis titulis Christianis libellos nonnullos composuit. Quorum altero nuper edito, quem modo commemoravimus, in universum, quid colligi possit e titulis Christianis ad historiam sacram ostendit, altero anno 1855 conscripto[3]) solas inscriptiones sepulcrales tractavit. Paucis vero annis post quam illa dissertatio scripta erat, mirabili modo aucta est materies. Anno enim 1859 A. Kirchhoffius in corporis inscriptionum Graecarum volumine quarto omnes qui usque ad id tempus reperti erant in lucem edidit titulos Christianos sepulcrales Graeca lingua confectos. Quo corpore cum Piperus in libello quem dixi nondum usus sit, operae pretium videtur esse de eadem re iterum verba facere ita tamen, ut certis terminis res definiatur. Neque enim, id quod Piperus, omnes inscriptiones et Latinas et Graecas respiciemus, sed in ipsas illas a Kirchhoffio collectas animum attendemus disseremusque de titulorum Christianorum sepulcralium in C. I. G. editorum compositione.

Ut igitur primum quae sit materia paullo accuratius exponamus, Kirchhoffius omnino 785 titulos sepulcrales collegit,[4]) quorum ad 50 adeo mutilati sunt, ut nihil ex eis intellegi possit. Accedunt 34 in corporis inscriptionum Graecarum prioribus voluminibus editi,[5]) quem numerum etiam augeri posse infra docebimus. Nulla vero ratio habenda est 72 titulorum Atheniensium,[6]) quos a Pittakis editore suppositos esse Holtzius[7]) luculenter demonstravit. Explicat enim V. Cl. Atheniensem illum nimio patriae amore adductum praeter eos titulos, quos ex antiquionibus temporibus traditos esse constet, ipsum non paucos tanquam in Parthenonis columnis repertos subdidisse, quibus in urbe sua semper Christianos floruisse probaret. Quod num jure a Holtzio affirmetur, iniudicatum relinquo: interim tituli, de quibus agitur, a nobis omittendi videntur. His igitur 72 remotis circiter 700 titulos habemus, quos Kirchhoffius ita disposuit, ut primum orientis, deinde occidentis ederet componeretque ab eisdem regionibus oriundos. Utque de locis, quibus quisque repertus est, et de temporibus, quibus orti sunt, aliquid adiciamus, ex Africa 28 prolati sunt, ex Syria 17, ex Asia 133, e Graecia praeter illos insitivos 90; deinde in Sicilia Melitaque insulis 91 reperti sunt, 345 in Italia, quorum ad 185 ex urbis coemeteriis sunt eruti; Gallicos denique 5, Germanicos 3 conservatos habemus. Quod autem ad tempora attinet, 60 solum tituli annum ipsum quo compositi sunt, memorant. Sed cum

1) Einleitung in die monumentale Theologie. Gotha 1867. 2) l. l. inde a p. 817. 3) Die Grabinschriften der alten Christen. (Evangelischer Kalender. Herausgegeben von F. Piper. 1855.) 4) C. I. G. vol. IV. fascic. II n. 9110—9893. add. 9595a. 5) Vide praefationem editoris ad inscriptiones Christianas. 6) n. 9350—9421. 7) Ersch u Gruber Vol. LXXXV p. 114 sq.

ex aliis indiciis tum e nominibus aut e litterarum forma permultorum de aetate Kirchhoffius probabiliter coniecit. Accedunt complures, qui si minus certis saeculis determinari at ita definiri possunt, ut cuius aetatis sint, utrum antiquioris an medii aevi, colligi liceat. Primum enim quicunque in coemeteriis urbis reperti sunt anno p. Chr. 410 antiquiores esse pro certo affirmamus, quoniam inde ab illo anno neminem fere in coemeteriis sepultum esse satis constat.[1]) Deinde eos, in quibus verba insunt *νεοφώτιστος*, *κατηχούμενος*, *πιστὸς ἐκ πιστῶν* similia, antiquissimi aevi esse nemo est qui neget; pariter qui consule aliquo se compositos esse ipsi declarant saeculo sexto prius scripti sint necesse est. Tum eos antiquissimos iudicabimus, quibus ancorae aut piscis signa addita sunt, quae signa titulorum saeculo quarto recentiorum nullo praeberi Krausius affirmat.[2]) Quicunque denique aut in Aegypto et in Africa aut in Syria reperti sunt, ante saeculum octavum ac vel septimi finem videntur orti esse, siquidem postquam Arabes initio saeculi septimi illas terras sub imperium suum dicionemque subiunxerunt Christianis iam non licuisse existimandum est libere religiones colere. Qui enim per Omarum vetabantur crucis signum aut libros sacros in medio proponere, immo vero etiam praesentibus Muhammedi sectatoribus omnino Christi nomen pronunciare,[3]) eos non verisimile est potestatem habuisse mortuis monumenta Christianis formulis ornata exigendi. Aegyptiorum autem cum plerique tituli indictionum numeros indicent, quas anno p. Chr. 312 primum in usum venisse constat, titulos illos inter saecula quartum et septimum scriptos esse coniciendum est. Nam quod unus,[4]) qui annum p. Chr. 709 exhibet,[5]) octavi saeculi initio ortus est, nostrae sententiae non repugnat: ipsius enim octavi saeculi decenniis primo et altero, cum tota Africa Arabes potiti essent, cultu Christiano exstirpato Aegyptus ad Muhammedi doctrinae formam redacta est. Omnino igitur praeter 60 illos, quorum annus indicatus est, ad 400 titulos habemus ita comparatos, ut cuius vel saeculi vel aevi sint cum probabilitate quadam definiri possit.

Iam ut transeamus ad ipsam titulorum compositionem, primum videlicet ad legentium

---

1) Cf. Kraus Roma Sotterranea Freiburg i/B. 1873 p. 107. 2) L. l. p. 436 sq. »Anker und Fisch sind die ältesten Sinnbilder und charakterisiren die Inschriften des ersten und zweiten Jahrhunderts.« p. 205: »Schon gegen Ende des vierten (Jahrhunderts) war es (sc. das Zeichen des Fisches) sehr selten geworden dergestalt dass, während 2000 nachconstantinische Inschriften mit Palmen, Kronen, Vögeln, Schafen, Kreuzen und Monogrammen verziert sind, nicht eines derselben das Sinnbild des Fisches trägt.« 3) Cf. Kurtz Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte I, 2, p. 550. 4) n. 9134.

5) In titulo est annus $\overline{\text{YKΓ}}$ *ἀπὸ Διοκλητιανοῦ ἰνδ.* $\overline{ϛ}$; quem indictionis numerum, quoniam non conveniat cum anni nota, Kirchhoffius vitiatum esse opinatur. Mihi tamen facili mutatione utriusque numeri consensio ita effici posse videtur, ut E pro Γ scribamus. Cum enim martyrum sive Diocletiani aera incipiat a. d. IV Cal. Sept. anni p. Chr. 284, annus YKE pertinet ab anni p. Chr. 708 mense Augusto usque ad anni 709 eundem mensem. *Παυνὶ* autem mensis, quo hoc sepulcrum collocatum est, nostro Iunio fere aequalis est; tempus igitur est Iunius mensis anni 709, quocum congruit ind. ϛ.

animos alliciendos apta sunt nomina mortuorum. Paucissimos titulos esse, in quibus non indicatum sit nomen, consentaneum est. At sunt: neque in iis sepulcris modo nomina omissa esse constat, in quibus multorum hominum corpora humata sunt, id quod Prudentio[1]) auctore saepius factum est, sed etiam in aliis; velut in titulo quodam Syracusano[2]) nihil legitur praeter signum illud ☧, quod monogramma Christi appellari solet; in Romano quodam[3]) solum I. X. Θ. Y. C., quibus litteris verba *Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ* antiquissimo aevo significata esse nemo ignorat. Deinde nonnulla monumenta Hierosolymis reperta[4]) nominum loco praebent formulam *Τῆς ἁγίας Σιών* vel *Μνῆμα τῆς ἁγίας Σιών*, qua Kirchhoffius recte adnotat significari jacere in iis »cives coelestis illius civitatis Hierosolymorum novorum futurae in extrema rerum consummatione, utpote Christianae fidei sacris initiatos.« Compluribus denique carminibus[5]) nomina tacentur.

Sed pleraque monumenta, ut dixi, nomina defunctorum praebent. Quae si paullo accuratius animo perlustraverimus, hoc primum oculis occurret, rarissime duo mortui nomina, nunquam fere tria litteris mandata esse, quodque Krausius affirmat[6]) post saeculum tertium non iam tria nomina, quarto finito ne duo quidem indita esse hominibus Christianis, his certe titulis luculenter comprobatur; pleraque enim quae duo nomina mortuorum exhibent monumenta e coemeteriis urbis sunt effossa, ceterorum vix ullum reperitur hoc modo comparatum. Quo in numero notanda sunt ea, quae nomina alicuius et Christianum et paganum praebent velut n. 9568 e coemeterio S. Agnetis erutus:

Ἰουλ. Καλλίμορφος, Ἰουλία Ἀγάθη Ἰουλίῳ Θεοδώρῳ, ὁ καὶ Εὐγάμις,
ἰδίῳ τέκνῳ γλυκυτάτῳ, γονεῖς ἐποίησαν.[7])

Tria vero nomina unus titulus habet Florentinus:[8])

M.
Λούκιος Φλάβιος Κλάδος ζήσας ἔτη οζ̅ ὥραν μίαν χαίρειν τοῖς ἄνω.

quem Kirchhoffius quidem Christianis eximendum censet. Quod num a V. Cl. recte iudicatum sit equidem dubito. Verba enim *χαίρειν τοῖς ἄνω* si ab homine pagano scripta sunt,

---

1) Prudent. Peristeph. hymn. XI. Pass. Hippolyti V, 9 sqq.:

Sunt et multa tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quae solum significant numerum.
Quanta virum iaceant congestis corpora acervis
Nosse licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic defossas mole sub una
Reliquias memini me didicisse hominum,
Quorum solus habet comperta vocabula Christus. cet.

2) n. 9457. 3) n. 9815. 4) n. 9141–9143. 5) n. 9145. 9283. 9540. 9546. 9688. 9727.
6) L. l. p. 435. 7) Tituli, ut semel dicam, ita in hac dissertatione afferentur, ut verba etiamsi soloece usurpata sunt, sicut illud *Θεοδώρῳ ὁ καὶ Εὐγάμις* pro eo quod debebat *τῷ καὶ Εὐγαμίῳ* accurate transscribantur, ratio scribendi ubi vitiosa est emendetur. 8) n. 9862.

quoniam nihil valere possunt nisi »salutem superis« i. e. eis, qui in vita adhuc sunt, mire dicta videntur esse, multoque aptior efficitur sententia eis quae Muenterus legit verbis *χαῖρε ἐν τοῖς ἄνω*, quae Christiano homine dignissima esse ipse Kirchhoffius affirmat. Littera *M.* autem versui primo superimposita quamvis agnoscam non *μνημεῖον* sed »Manibus« ostendi nihil probatur. Saepius enim in monumentis Christianis litteras D. M. inveniri constat, non quod homines Christiani, id quod Bellermannus[1]) vult, cogitate morem paganum retinuerint, sed rectissime Krausius[2]) suspicatur lapides, quibus illae litterae iam antea insculptae fuerint, temere emptos esse a Christianis, qui quidem quid eis significaretur, omnino non considerarent. Quae cum ita sint, illum titulum non posse Christianum esse haud concesserim. Sed utut res sese habet, hoc uno nimirum titulo non improbatur, quod diximus, nisi antiquissimis temporibus Christianos nomina tria non tenuisse.

Nomina ipsa maximam ad partem a Graecis aut a Romanis recepta sunt, quod ut fugerent Christiani tantum abfuit ut vel ea, quae a deorum nominibus derivata sunt, ut *Ἀρτεμιδώρα, Δημητρία, Διόδοτος* et *Διογένης*, *Ἀφροδίσιος*, alia admitterent. Multa tamen, quae apud Graecos iam antea usitata fuerant, fide Christiana novam ut ita dicam vim acceperunt velut *Ἐλπίς*, *Ἐλπίζων*, *Νικῶσα*, *Σωζομένη*, *Εἰρήνη*, *Ἀγάπη*, *Πίστις* omniaque cum *θεός* vocabulo composita, quae multa tituli praebent: *Θεόδωρος* et *Δωρόθεος*, *Θεοδόσιος*, *Θεοστήρικτος*, *Θεόμνηστος*, *Θεοκτίστης*, *Θεόφιλος*, *Θεοφάνης*, *Θεόδουλος* alia. Nec desunt Christianorum propria. Primum enim non pauca e litteris sanctis deprompta sunt. Habemus patriarcharum nomina *Ἀβραάμ* sive *Ἀβραάμιος*, *Ἰσαάκιος*, *Ἰακώβ*, deinde *Ἰωσήφ*, *Συμεόνιος*, *Σαμουήλ*, *Ἠλίας*, *Ἠρεμίας*, *Σουσάννη*; e novo, quod dicitur, testamento sumpta sunt nomina *Πέτρος*, *Παῦλος*, *Ἰωάννης*, quae saepissime reperiuntur, tum *Ἀνδρέας*, *Φίλιππος*, *Θωμᾶς* et *Δίδυμος*, *Λουκᾶς*, *Μαρία*, *Στέφανος*, *Ὀνήσιμος*; saepius deinde occurrunt *Γαβριήλ* et *Μιχαήλ* archangelorum, qui vocantur, nomina. Inventa denique a Christianis sunt *Ἀνατόλιος*, *Ἀναστάσιος*, *Ἀθανάσιος*, *Μαρτύριος*, *Ναζάριος*, *Πολύκαρπος*, *Θεόπιστος*, Latinaque *Ῥεκέπτος* et *Ῥεδῆμπτα*; ac ne *Βονιφάτιος* quidem nomine pagani videntur usi esse.

Nomen vero solum perraro reperitur; saepissime legitur in coemeteriis urbis, quorum tituli et propter angustias locorum et pro consuetudine aetatis remotioris ceteris multo breviores sunt; sed si minus verba, tamen signa quaedam, ut ancoram, columbam, piscem addere solebant, quibus Christianum hominem illo loco humatum esse significarent.

---

1) Bellermann Ueber die ältesten christlichen Begräbnissstätten. Hamburg 1839 p. 46.

2) L. l. p. 63: »(Bis zum Ende des dritten Jahrhunderts) scheinen diese .... Buchstaben als charakteristisches Merkmal jeder Grabschrift gegolten und sozusagen gedankenlos ohne dass man irgend wie an ihren eigentlichen Sinn dachte, gebraucht worden zu sein; so finden sie sich einmal friedlich neben dem Monogramm Christi: D. M. ⳨ S.«

Verum in plerisque addebantur, quae superstitibus digna memoria viderentur: iacere ibi quendam, mortuum die quodam, similia.

Ipsum illud iacendi vocabulum tam variis modis expressum est, ut non supervacaneum videatur paullo accuratius hanc vocem contemplari. Saepissime legitur *ἐνθάδε κεῖται* aut *ἐνθάδε κατάκειται*, *ὧδε κεῖται*, *ἔνθα κεῖται*, *ἐνταῦθα κεῖται*; rarius usurpantur prima persona *ἐνθάδε κεῖμαι*[1]) aut altera *κεῖσαι.*[2]) Idem paullo copiosius: *ἐνθάδε κεῖται τὸ σῶμα τοῦ δεῖνα*,[3]) *ἔνδα κεῖνται ὄστεα τοῦ δεῖνα*;[4]) semel brevissimum exstat in trisomo:[5]) *δεῦτε τῶν δεῖνα*.. hic iacent corpora..., quibus postea quartum adiectum est eadem voce: *δεῦτε τῆς Σλαβουροπούλας*. Multi addiderunt quae signo essent Christianos sepultos esse verba *ἐν εἰρήνῃ* vel *ἐν θεοῦ εἰρήνῃ* vel *ἐν ἁγίῳ πνεύματι θεοῦ ἐνθάδε κεῖται ὁ δεῖναι*. In titulis et Aegyptiis et Nubicis saepius occurrit formula *ἔνθα κατάκειται ὁ μακάριος* ... quae aliis locis non reperitur; quamquam enim *μακάριος* vocabulum non raro usurpatur ad mortuum laudandum in formula *ὁ μακαρίας μνήμης* atque etiam solum nomini adiungitur in quattuor titulis Romanis,[6]) tamen haec formula »hic iacet beatus« nisi in Africa non legitur. De qua re non est cur miremur. Ex ipsa enim rei natura sequitur, certum loquendi morem in singulis terris ac vel urbibus, cum semel in usum venisset, per multa saecula servatum esse. E contrario aliae formulae per totum orbem terrarum pervulgatae sunt, in quasdam regiones omnino non pervenerunt; illud *ἐνθάδε κεῖται* verbi causa, quod supra commemoravimus in omnibus fere terris legi, Syriae unus titulus praebet e quindecim, Ciliciae unus ex octoginta tribus.

Sepeliendi vocabulum ut a nobis sic a Graecis quoque vitabatur. Tres modo tituli habent: semel Athenis legitur *ἐνθάδε τέθαπται*,[7]) bis Romae *ἐτάφη ὧδε*[8]) et *ἔνθ' ἐνετέθη*.[9]) Praeterea et *θάπτειν* et *κατατίθεσθαι* similiaque vocabula quamquam nonnunquam reperiuntur, tamen duplici solum modo usurpantur: aut ad definiendum tempus, quo quisque sepultus sit, in formulis *κατετέθη μηνὶ τῷ δεῖνα*, *ἐτάφη ἐν τῷ τάφῳ αὐτοῦ μηνὶ τῷ δεῖνα*, *ἐξεκομίσθη ἡμέρᾳ τῇ δεῖνα*, aut in exsecrationibus: *εἰ δέ τις τῶν ἰδίων ἢ ἕτερός τις τολμήσῃ σῶμα καταθέσθαι ἐνταῦθα*, *ἀνάθεμα ἔστω* similibus, de quibus infra aliquid addendum erit. Initio vero titulorum exceptis tribus illis nusquam repperi, sed sepeliendi notio aut pluribus vocibus et per ambitum verborum enunciabatur velut *γῇ κέκρυπται ὁ δεῖνα*,[10]) *γῇ σῶμα κρύπτει τῇδε*,[11]) *καλύπτει γῆ τὸν δεῖνα*,[12]) aut aliis vocabulis exprimebatur. Dignissima videbatur fide Christiana acquiescendi vox, itaque in plurimis inscriptionibus legimus *ὧδε* (*ἐνθάδε*) *ἀναπαύεται*, *ἐνθάδε κοιμᾶται*, nonnunquam solum *κοιμᾶται*, *ἔνθα* (*ἐνθάδε*) *κεκοίμηται*, *κεκοίμηται ἐν εἰρήνῃ*. Verborum loco saepius nomina substantiva posita sunt: *κοίμησις* vel *ἐν εἰρήνῃ*

---

1) n. 9294. 9302. saepius. 2) n. 9829. 3) n. 9261. 4) n. 9270. 5) n. 9297.
6) n. 9641. 9703. 9823. 9829. 7) n. 9335. 8) n. 9611. 9) n. 9830. 10) n. 9309.
11) n. 9319. 12) n. 9578.

κοίμησις τοῦ δεῖνα similiterque in titulo quodam Italico[1]) mortuus dicitur κατάπαυσιν ποιήσασθαι. Quod vero titulus Florentinus[2]) praebet: ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ ἀναπαύεται τὸ πνεῦμα τοῦ δεῖνα, de hac formula maxime notanda alio loco pluribus disputandum erit. Insigne aliquid alius quoque titulus incertae originis[3]) anno p. Chr. 518 compositus exhibet:

Ἐνθάδε τὸν ἀγρήγορον ὕπνον καθεύδει Εὐγνωμόνιος.

Quod monumentum annon adnumerandum sit Christianis, quamquam crucem adpositam esse unus ex eis qui titulum ediderunt expresse affirmat, dubitari potest. At licet ille erraverit, ipsis verbis titulus Christianus esse probatur, si quidem id quod versu 5. legitur: mortuum προαπελθεῖν τοῦ καθ' ἡμᾶς βίου homo paganus nescio an non potuerit dicere. Habemus igitur eam inscriptionem, in qua cum Christiana fide paganorum ratio mixta sit. Quod genus titulorum non modo prioribus saeculis interdum occurrit, sed multo post, cum Christianae fidei iam tota Europa dedita esset, fuerunt, qui veterum dicendi rationem imitarentur, cuius rei mox compluria exempla afferemus. Iam vero ut revertamur, unde digressi sumus, sepulcrum ipsum plurimis modis appellabatur. Ac τάφος quidem vocabulum sicut θάπτω verbum rarissime adhibebant. In Asia semel reperitur,[4]) in Europa exceptis adscriptionibus supra commemoratis, quibus tempus funeris significaretur, in quinque titulis[5]) legitur, qui cum ad unum omnes versibus iambicis compositi sint, propter solum syllabarum mensuram hanc vocem apparet usurpatam esse. Ab acquiescendi autem verbis ducta sunt τόπος ἀναπαύσεως et κοιμητήριον vocabula. Cum vero κοιμᾶσθαι verbum apud omnes fere orbis terrarum homines Christianos pervulgatum esse docuerimus, mirandum est κοιμητήριον vocem nisi in Graeciae nonnullis titulis, deinde in tribus Romae repertis, in uno denique Melitae insulae non exstare. Cuius rei haec causa videtur esse, quod κοιμητήριον vocabulum prioribus iam saeculis adeo percrebuit ad totum sepulcretum significandum, ut vel qui Latina lingua loquebantur Christiani coemeterio vel cimeterio voce uterentur pro dormitorio antea usitato. Itaque ad singula monumenta appellanda in usum recepta sunt alia vocabula. Primum a μεμνῆσθαι verbo repetebantur μνημεῖον, μνημάριον, ὑπόμνημα simplexque μνῆμα, quod in Asia nonnunquam coniunctum legitur cum voce διαφέρον, ita quidem, ut Syri adiciant dativum velut μνῆμα διαφέρον Θέκλᾳ,[6]) Cilices genetivum: μνῆμα διαφέρον Θεοδώρου;[7]) eiusdem regionis propriae sunt formulae θήκη παραστατικὴ τοῦ δεῖνα πρὸς τὸ μνησθῆναι αὐτοῦ atque quae crebrius legitur παραστατικὸν (sc. μνῆμα) τοῦ δεῖνα. Omnino θήκη vocabulum sicut θέσις, θηκίον, cetera a θέσθαι verbo ducta praecipue in Asia moris sunt, in occidente nullum usum habent. Nam quod Romae saepius legitur κατάθεσις, nihil ad rem; hac

[1]) n. 9546. [2]) n. 9863. [3]) n. 9449. [4]) n. 9262. [5]) n. 9438. 9535. 9540. 9544. 9870. [6]) n. 9138. [7]) n. 9162.

enim voce non sepulcrum significatur, sed ipsa sepeliendi actio, depositio, neque adhibetur *κατάθεσις*, id quod ad verbum quoque *καταθέσθαι* adnotavimus, nisi ad definiendum tempus sepulturae, velut *κατάθεσις Πρηκικίου πρὸ ζ̄ καλανδῶν Ὀκτωβρίων*, *Θεοδώρας πρὸ δ̄ εἰδῶν Σεπτεμβρίων*,[1] pariterque in titulo Corcyraeo[2]) *μετὰ τελευτὴν καὶ τὴν ἐν τάφῳ θέσιν* verbis sepeliendi actio significatur. Cui rei qui solus videtur repugnare titulus Romanus:[3])

ΚΥΡΙΑΚΗΤΗΓΛΥΤΑΤΗ Columba ЄΖΗCЄΝ.ЄΤΗ.ΛЄ.& ΠΡΟ	ΚΑΤΑΘЄCЄΙCЄΝΠΑΚЄ Columba ΜΙΑCЄΙΔΩΝΜΑΡΤΙΩΝ

quem Kirchhoffius legit *Κυριακῇ τῇ γλυκυτάτῃ κατάθεσις ἐν* pace. *Ἔζησεν ἔτη λε̄. Πρὸ μιᾶς εἰδῶν Μαρτίων*, si aliter verbis iunctis legimus: *Κυριακῇ τῇ γλυκυτάτῃ. Ἔζησεν ἔτη λε̄. Κατάθεσις ἐν* pace *πρὸ μιᾶς εἰδῶν Μαρτίων*, prorsus consentit ceteris qui *κατάθεσις* vocabulum exhibent.[4]) Asiae vero gentium Galatae *θέσις*, Cilices *θήκη* vocabulo maxime utuntur, quae voces praeterea in duobus solum Asiae,[5]) quattuor Europae titulis exstant. Europaeorum tamen in uno[6]) *θήκη* vox ita usurpata est, ut cellulam significet oppositaque sit toti sepulcro, in quo duo homines iaceant *ἐν δυσὶ θήκαις ἰδίᾳ ἑκάστῳ*, alterum[7]) ipse Kirchhoffius cum Asiaticae originis indicium praebeat, ex Asia Constantinopolim ablatum esse censet, atque etiam tertius[8]) Athenis repertus cum propter *θέσις* vocem tum propter verbum *διαφέρειν*, quod Kirchhoffius e litteris valde corrosis coniecit, sine ulla dubitatione ex Asia Athenas transportatus est. *Διαφέρειν* enim vocabulum cum praeter eos quos diximus Ciliciae et Syriae titulos similesque eiusdem orae, in quibus cum *θήκη* voce coniunctum est, (pariter in Ciliciensibus genetivo apposito, in Syria dativo) bis solum reperiatur in titulis Ephesino et Smyrnaeo,[9]) Asiae peculiare esse satis apparet. Quodcum quartum illorum monumentorum, Constantinopolitanum,[10]) praebet: *Θήκη διαφέρουσα Ἰωάννῃ*, fieri non potest quin Kirchhoffio subscribam hunc quoque titulum Asiaticis adnumeranti;

---

1) n. 9675. cf. n. 9598. 9649. 9651. 9660. 9663. 9831. 2) n. 9438. 3) n. 9610.

4) Quod Bellermannus l. l. p. 41 Ambrosium secutus depositionem esse non illam iudicat, »quae sepeliendis in terra membrorum reliquiis clericorum manibus procuretur, sed illam, qua homo vinculis carnalibus absolutus liber iturus ad coelum terrenum corpus exponat«, nescio an V. Cl. graviter erraverit. Quamvis enim facete Ambrosius (Serm. XVI.) hunc sensum subdiderit voci depositio sive *κατάθεσις*, tamen in monumentis non mortem, sed ipsam sepulturam ea significari testimonio sunt tituli, quos dixi. Nam quod legimus: *Εὔτροπος ἐν εἰρήνῃ. Υἱὸς ἐποίησεν. Κατάθεσις πρὸ ῑ καλανδῶν Σεπτεμβρίων* (n. 9598) aut: *Μητρὶ Λουκάνῃ Λουκίλα θυγάτηρ ἐποίησεν. Κατάθεσις πρὸ ζ̄ καλανδῶν Ὀκτωβρίων* (n. 9660), cum ad *ἐποίησεν* supplendum sit *μνημεῖον* vel *βόθρον* vel simile aliquid, *κατάθεσις*, quod statim insequitur, de funere dictum esse haud facile quisquam negaverit.

5) n. 9239. 9266. 6) n. 9303. 7) n. 9445.

8) n. 9307. 9) n. 9275: *ἡρῷον διαφέρον Κωνσταντίνῳ* cet n. 9281: *αὕτη ἡ σορὸς διαφέρει Πολυκάρπῳ* cet. 10) n. 9446.

hoc tamen addubito, utrum lapis cum aedificiis instaurandis materia quaereretur, ex Asia ablatus sit, an, id quod mihi quidem veri similius videtur, homo quidam Syrus — nam dativus Ἰωάννῃ non Ciliciae, sed Syriae titulum esse indicio est — qui Constantinopolim transmigrarat, titulum, ut patriae servaret morem, Syrorum ritu componendum curaverit. Tenemus igitur, et διαφέρειν et θέσις θήκηque vocabula Asiae quarundam provinciarum propria esse. Nam quod in titulo Romano[1]) Kirchhoffius propter κατασκευασθεῖσαν vocem coniectura addidit θήκην, non possum quin, cum etiam στήλην aut aliam quandam vocem adici liceat, hunc titulum nullo numero putandum esse contendam.

Deinde sola in Cilicia reperimus voces σωματοθήκη aut θήκη σώματος sive σωμάτων ac vel σωμοτοθήκη σωμάτων, tum σωματοθήκη διαφέρουσα, postremo χαμοσόριον aut χαμοσόριον διαφέρον sequente, id quod Cilicum moris esse docuimus, genetivo. Praeter haec quae Ciliciae propria diximus esse nomina in eadem regione nonnulla inveniuntur, quae apud alias quoque gentes in usu erant: ἡρωεῖον, τύμβος, τόπος. De ἡρωεῖον sive ἡρῷον nihil addendum est ac ne de τύμβος quidem voce, quae, quoniam Christianos nunquam cremasse mortuos nemo ignorat, primo obtutu insignis videtur esse. Apud veteres enim τύμβος vocabulum non tam bustum significasse quam tumulum cum aliunde constat tum locutione illa τύμβον χέω satis probatur; quamobrem etiam Christianos hac voce usos esse non mirandum est. Tertium vero illud: τόπος commemoratione dignissimum est. Haec enim vox, quam Christiani omnium fere et Asiae et Europae partium ad sepulcri notionem exprimendam adhibebant, apud veteres, qua tumulus significaretur, adeo insolens erat, ut Kirchhoffius, si quid video, propter hoc ipsum vocabulum complures titulos, velut n. 4432ᵉ: τόπος Καλαροπίου υἱοῦ Ταρσείου et n. 4436: Κηπούρου ὁ τόπος in Christianorum numero rettulerit. Apparet igitur Christianos omnino coepisse huic voci notionem quam diximus subicere, quae nescio an deprompta sit e litterarum sanctarum loco quodam. Matth. 28, v. 6 enim angelus, qui mulieribus ad Iesu sepulcrum properantibus se offert: οὐκ ἔστιν ὧδε, inquit, ἠγέρθη γὰρ καθὼς εἶπεν. δεῦτε ἴδετε τὸν τόπον ὅπου ἔκειτο, quae verba cum iterum atque iterum legerentur et recitarentur, paullatim factum est, ut omnia sepulcra τόπος voce appellarentur. Restant vocabula βόθρος, σπήλαιον, λαγόνες, quae omnino locum cavum significant, σῆμα, τίτλος, στήλη, quibus monumenti notio inest, τόπος τοῦ καταγαίου, quo sepulcrum sub terra positum esse declaratur, poeticum denique illud, quod bis occurrit:[2]) οἶκος αἰώνιος.

Addo recentioris aevi homines, maxime eos, qui versus componere posse sibi viderentur, hanc de qua agimus notionem saepe copiosa loquacitate expressisse. Velut titulo Panormitano anno p. Chr. 1140 composito[3]) huncce in modum memoriae traditur mulier sepulta esse:

---

[1]) n. 9649. [2]) n. 9303. 9845. [3]) n. 9535.

— — — — — Θεοδούλην
ὁ λίθος οὗτος συγκαλύπτει τῷ τάφῳ

et paullo post:

καὶ χοῦν μὲν αὐτῆς ἐνθάδε κρύπτει τάφος.

Similiter in sarcophago Messanae reperto, quem anno p. Chr. 1149 exstructum esse constat,[1]) legimus:

Ἐνταῦθα Λουκᾶυ — — —
ἔκρυψε λάρναξ, ὥσπερ ἥλιον νέφος·

ac vel magis inflata est oratio inscriptionis Nicaenae anno p. Chr. 1211 compositae:[2])

— — — — — (τὸν Μανουήλ)
χόνις καλύπτει καὶ θαλαμέβει σκότος,
καὶ τάφον οἰκεῖ τῆς κατάρας χωρίον
πρίγκιψ Μανουήλ.

Theosterictus denique, ultimus stirpis Pepagomenorum, sese, cum quadragesimo quinto aetatis anno e vita decesserit, ibi humatum esse quinque versibus pronunciat:

Κύκλων μεγίστων ἡλίου δρομημάτων
εἰκάδα διπλῆν σὺν μοναπλῇ πεντάδι
τὸ τοῦ βίου τέτρωρον ἱππεύσας μόνον
ἔπαθλον εὗρον τὸν βραχὺν τοῦτον λίθον,
ὃς τὴν ἐμὴν ἐνταῦθα καλύπτει χόνιν.[3])

Iam ut transeamus ad ea, quae a superstitibus praeter nomina in epitaphiis memorari solebant, consentaneum est hoc potissimum dignum quod de mortuis indicaretur iis visum esse, quando vita defuncti essent. Itaque plurima monumenta, ut nihil aliud referant, hoc tamen declarant, quo aut anno aut die ac vel qua hora ei, quibus collocata sunt, animam ediderint. Mirandum tamen est a nonnullarum regionum consuetudine hunc morem plane alienum esse. In Asia enim multo plures reperiuntur tituli, in quibus de tempore prorsus non agitur. Syriae, ut exempla nonnulla afferam, e decem et septem inscriptionibus quattuor quo quisque tempore vita decesserit indicant, Galatarum habemus titulos omnino viginti, tres, quibus de tempore agitur; Cilicienses denique plus octoginta tituli ad nos pervenerunt, e quibus unus[4]) ultimum vitae annum refert, isque, cum Ciliciae ceterae omnes inscriptiones antiquioris sint aetatis, anno p. Chr. 1053 scriptus est. Quodcum Galatiae quoque e tribus illis quos diximus titulis duos, pariterque eos, qui in Phrygia et in Bithynia reperti sunt in hunc modum compositi, recentiores esse constet, hoc affirmare licet, in Asiae cum ceteris tum eis partibus, quae orientem versus patent, mor-

---

1) n. 9539. 2) n. 9262. 3) n. 9544. 4) n. 9160.

tuorum temporis extremi indicandi morem, antiquiore aetate non ita frequentem, recentissimis demum medii aevi saeculis increbrescere coepisse. Idem mos in Graecia, in Aegypto, in Nubia non rarus, in Italia tritus et usitatus est.

Ac praecipue quidem supremus vitae dies, cuius pagani utpote maxime atri mentionem facere omittebant, a Christianis quasi laetus dies litteris mandari solebat. Hoc enim die piis hominibus vitae caelestis aditum aperiri putabant, fueruntque qui hunc sanctorum verum diem natalem esse censerent, »non illum quidem, ut Petri Chrysologi[1]) utar verbis, quo nascerentur in terra de carne, sed de terra in caelum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias, non fluxas, sed fortes et stabiles et aeternas, de mundanis risibus ad coronam et gloriam.« Sexcenties igitur quo aliquis sit mortuus die scriptum legimus etiamsi de mortis anno nihil traditum est. Quem diem suo quemque populum modo definivisse consentaneum est. Aegyptii igitur et Nubii scribunt: *ἐτελειώθη ὁ δεῖνα μηνὶ Φαωφὶ $\overline{ι}$* aut *Θὼθ $\overline{δ}$* aut *ἐπιφωσκούσης τῆς ὀγδόης τοῦ Ἀθὺρ μηνός* similia. Eandem rationem posterioribus saeculis in alias quoque Africae partes manasse indicio sunt tituli Tripolitani[2]) verba: *ἐτελεύτησεν μηνὶ Παυνὶ ἑβδόμῃ κατὰ τοὺς Ἄφρους.*[3]) Syri autem partim ipsorum mensibus utuntur, partim Romanorum; sed cum paucissimis Syriae titulis de tempore aliquid indicari exposuerimus, quae ratio in frequentiorem usum venerit, ex his quidem inscriptionibus diiudicari non potest. *Ἀπελλαῖος* mensis tertius Syrorum commemoratur in titulo, quem sexti saeculi esse constat,[4]) in inscriptione septimo saeculo edita[5]) idem mensis *Δεκέμβριος* nominatur, in titulo denique anno p. Chr. 417 composito[6]) Syrorum Macedonumque septimus mensis *Ξανθικός* appellatur. In ceteris autem Asiae partibus atque tota Graecia recentioribus certe temporibus — nam titulus n. 3865 qui *Περίτιον* mensem praebet, ad tertium pertinet saeculum — e Romanorum ratione menses numerabantur, qua nimirum occidentis quoque omnes Christiani utebantur. Nam Galliae et Germaniae tituli, qui exhibent Syrorum menses *Περίτιον*[7]) et *Πάνημον*[8]), quoniam utrumque titulum a Syris hominibus scriptum esse apparet, non sunt respiciendi.

Multo pauciores eique priorum praecipue saeculorum sunt tituli, qui quo hebdomadis die aliquis mortuus sit tradunt. Exceptis Atheniensibus illis inscriptionibus in Parthenonis peristylii columnis repertis omnino viginti una huius generis exstant, quarum duodecim e Sicilia oriundae sunt. Ac dies Solis quidem triplici modo significatus est: *ἡμέρα Ἡλίου*, *ἡμέρα κυριακή* coniunctisque vocibus *ἡμέρα Ἡλίου κυριακή*; Lunae dies semel *ἡμέρα ἡ $\overline{β}$* nominatur, quod respondet Latinorum feriae alteri, ter *ἡμέρα Σελήνης*; Martis diei

1) Serm. 129. 2) n. 9137. 3) Casu quodam factum est, ut praeter sextum (*Μεχίρ*) et duodecimum (*Μεσορί*) omnes Aegyptiorum menses in his titulis occurrant: 1. *Θώθ*, qui incipiebat a. d. IV. Cal. Sept. 2. *Φαωφί*. 3. *Ἀθύρ*. 4. *Χοιάκ*. 5. *Τυβί*. 7. *Φαμενώθ*. 8. *Φαρμουθί*. 9. *Παχών*. 10. *Παυνί*. 11. *Ἐπιφί*. 4) n. 9146. 5) n. 9153. 6) n. 9152. 7) n. 9886. 8) n. 9891.

non fit memoria. Mercurii autem dies vel feria quarta: *ἡμέρα δ̄* nominatur vel *ἡμέρα Ἑρμοῦ*, dies Iovis *ἡμέρα ε̄* sive *ἡμέρα πέμπτη* aut *ἡμέρα Διός*. Veneris dies semper *ἡμέρα παρασκευή* appellatur, Saturni dies aut *σάββατον* sive *σάββατα* aut *ἡμέρα Κρόνου*. Adnotandum vero est, illa deorum nomina antiquioris solum aevi inscriptionibus edi, recentiorum temporum homines aut simplici feriae numero aut Iudaeorum ritu uti maluisse.

Atque quoniam de diebus disseruimus, vel horam mortis nonnunquam litteris mandatam esse addimus. Hanc quinque omnino tituli praebent, e quibus cum tres[1]) noni sint saeculi, unus[2]) duodecimi ac ne quintus quidem[3]) vetustus videatur esse, antiquioribus temporibus horam mortis adicere non fuisse moris verisimillimum est.

Annorum denique rationem triplicem habemus: unam ab aera quadam ductam, alteram consulum referendorum, indictionis proponendae tertiam. Quarum quam postremam diximus, prorsus inepta videtur; namque cum quo indictionis alicuius anno aliquis mortuus sit referatur, quotae indictionis ille annus sit non indicetur, temporis definitionem plane inutilem esse nemo est quin intellegat. Hoc unum affirmare licet eiusmodi titulos ante annum p. Chr. 312, quo anno a Constantino indictiones institutas esse constat, non posse scriptos esse; ac vel hoc probabile videtur, quod de Rossius disserit,[4]) indictionum ad designandos annos adhibendarum usum paullatim increbrescere coepisse ita quidem ut Aegyptii primi eis uterentur, extra Aegyptum ante medium saeculum quintum paucissimis titulis indictiones adscriberentur. In occidente vero hanc temporis definitionem haud satis acceptam fuisse hoc testimonio est, quod Italiae inscriptionum in universum quinque eam praebent, e quibus tres[5]) duodecimo compositae sunt saeculo. In occidentis enim titulis plerumque consulum nomina litteris mandabantur, qui mos tam diu valuit quamdiu omnino fuerunt consules, i. e. usque ad annum p. Chr. 536. Sed in Asia quoque atque in Graecia ex consulum ratione si minus moris erat numerare, at numeratum est nonnunquam; casuque quodam factum est, ut eius anni, quo Byzantii consules esse desierunt, duo tituli servati sint Smyrnaei, quorum alter[6]) Timostratam, alter[7]) Strategium quendam e vita decessisse docet die quodam *ὑπατίας Φλ. Βασιλίου τοῦ λαμπροτάτου*, quem postremum consulem Byzantinum fuisse constat.[8]) Saepius vero occidentis Christiani aerarum

---

[1]) n. 9286ᵃ. 9286ᵇ. 9346. [2]) n. 9539. [3]) n. 9347. [4]) Inscriptiones Christianae urbis Romae Vol. I. Praef. p. XCVIII. [5]) n. 9535. 9540. 9544. [6]) n. 9277. [7]) n. 9278.

[8]) Kirchhoffius indictionis numerum respiciens annum esse p. Chr. 542 adnotat. Ea tamen in re erravit. Indictio enim ϛ′ cum incipiat a Cal. Septemb. anni 542, eiusdem indictionis Aprilis mensis cadit in annum 543. Itaque temporum ratio non convenit. Basilius enim cum anni 541 consul fuisset, anni insequentes ita definiri solebant, ut dicerentur annus post consulatum Basilii primus, secundus cet., anno 543 vero Basilius etiamtum consul esse non potuit dici. Videtur igitur indictionis numerus corruptus esse, pro quo *ἰνδ. δ′* scribendum erat.

Alterius tituli (n. 9277) annum cum Kirchhoffius adnotat p. Chr. 540 esse, ne hoc quidem recte

ratione utebantur, quarum sex omnino his de quibus agimus titulis praebentur: atque Aegyptii quidem omnesque Afri ex aera Diocletiani vel martyrum, cuius principium incipit

---

dictum esse ex his quae attulimus apparet. Nec video, cur V. Cl. maluerit titulum pertinere ad annum 540 quam ad eum, quo Basilium consulem fuisse inter omnes constat; anno enim 541, quoniam ind. δ' initium capit a Cal. Sept. anni 540, hic indictionis numerus optime convenit.

Occasione hoc loco oblata utor ad aliarum quoque inscriptionum annorum rationem disceptandam. Quamquam enim Holtzius cum Kirchhoffium omnium titulorum annos vitiose computasse dicit (l. l. p. 114), rem in maius extollit, tamen non raro illum virum doctissimum errasse statim ostendemus.

n. 9120. Habemus *Φαρμουθὶ* $\overline{\sigma\zeta}$ *ἰνδ.* $\overline{\iota\alpha}$. Kirchhoffius adnotat anni numero e martyrum aera computato titulum referendum fore ad annum p. Chr. 489, quocum concinat indictionis numerus. Qua in re bis ratio eum fefellit. Primum enim annus $\overline{\sigma\zeta}=207$ computatus e martyrum sive Diocletiani aera, quae incipit a. d. IV. Cal. Sept. anni p. Chr. 284, est annus p. Chr. 490/491; deinde annus 489, quem ipse voluit esse, minime convenit cum indictionis numero; indictio $\overline{\iota\alpha}$ enim incipit Cal. Sept. anni 487, finitur eodem die anni 488. Quae cum ita sint, nullo modo congruunt numeri. Cui rei facillima mutatione ita mederi posse videor, ut pro *ἰνδ.* $\overline{IA}$ ponam $\overline{I\Delta}$; anni $\overline{\sigma\zeta}$ enim mensis *Φαρμουθί* incidit in Martium vel Aprilem anni p. Chr. 491, indictionis autem quartae decimae initium est mensis September anni 490.

n. 9121. Anni $\overline{\sigma\vartheta}=209$ ex epocha Diocletiana computati mensis *Φαρμουθί* $\overline{\delta}$ est a. d. III. Cal. April. anni p. Chr. non 492, sed 493. Ceterum de Rossius quidem Letronnium secutus cum hanc aeram ante annum 640 Christianis titulis adscriptam non esse arbitretur, Kirchhoffium et hunc titulum et praecedentem saeculo quinto iure tribuisse negat. Quod cum difficillimum sit diiudicatu, satis habeo rem commemorasse.

De n. 9134 supra est disputatum.

n. 9146. Hoc loco bis erravit Kirchhoffius. Primum enim Bostrenorum epochae (cf. Ideler Handbuch der Chronologie I, 475) cum annus p. Chr. 105 initium fuerit, annus 438 ad hanc aeram computatus non respondet anno p. Chr. 544, sed 542/543. Deinde quoniam Apellaeus mensis Bostrenorum incipit a. d. XV. Cal. Dec., anni 544 dies de quo agitur incidit in ind. non septimam, sed octavam. Est anni 542 finis, in quem cum cadat ind. sexta, apparet numerum aut anni aut indictionis corruptum esse. Quodsi pro *ΥΛΗ* scribitur *ΥΛΘ*, habemus anni 543 Novembrem vel Decembrem mensem, qui incidit in indictionem septimam.

n. 9160. Annus $\overline{\varsigma\varphi\xi\alpha}=6561$ ad Byzantinorum aeram, quae incipit a Cal. Sept. anni a. Chr. 5509, computatus pertinet a Cal. Sept. anni p. Chr. 1052 usque ad easdem Calendas anni 1053; November igitur eius anni mensis incidit in annum p. Chr. non 1053, id quod Kirchhoffius vult, sed 1052.

n. 9262. Manuel Comnenus dicitur mortuus esse die XVII. mensis Junii anni post mundum creatum 6719, qui dies, cum ille annus incipiat Cal. Sept. anni p. Chr. 1210, cadit in annum 1211. Hinc cum optime conveniat indictionis numerus (*κατὰ διςεπτάριθμον ἰνδίκτου κύκλον*), cur Kirchhoffius annum 1212 maluerit esse non liquet.

n. 9321. Kirchhoffius adnotat annum p. Chr. 1022 esse. At anni $\overline{\varsigma\varphi\kappa\vartheta}=6529$ Martius mensis cadit in annum p. Chr. 1021, cui convenit *ἰνδ.* $\overline{\delta}$, quae ab anni 1020 Cal. Sept. initium capit.

n. 9324. Si ad annnum 1061, id quod Kirchhoffius vult, titulus referendus esset, eius anni October mensis in indictionem non $\overline{\iota\delta}$, sed $\overline{\iota\varepsilon}$ incideret. Nunc vero est annus p. Chr. 1060. Cumque textus in tabulis repraesentati, quamvis indictionis numerus corruptus sit, tamen *δ* littera agnoscatur, sola *ι* littera suppleta numerum $\overline{\iota\delta}$ habemus.

n. 9325. Anni $\overline{\varsigma\varphi\xi}$ December mensis in annum non 1052, sed 1051 incidit.

n. 9330. Anni $\overline{\varsigma\varphi o}$ October mensis in annum 1061 (Kirchh.: 1062) cadit, quocum concordat ind. $\overline{\iota\varepsilon}$.

die XXIX. mensis Augusti anni p. Chr. 284, annos numerabant,[1]) Syri aut e Bostrenorum epocha, cuius initium incidit in annum p. Chr. 105,[2]) aut ex epocha Antiochena ab anno a. Chr. 49 incohante,[3]) aut e Seleucidarum aera, quae initium capit a Cal. Octobr. anni a. Chr. 312.[4]) A Phrygiae autem civitatibus, si non omnibus, at plurimis, Sullanam quandam epocham, cuius initium anno a. Chr. 84 factum sit, Franzius docet receptam fuisse;[5]) velut titulus n. 3865[1], qui annum τξγ praebet, ad hanc aeram computatus pertinet ad annum p. Chr. 280. Recentioribus vero saeculis ut in ceteris orientis partibus sic in Phrygia quoque in usu versabatur aera Byzantinorum, qui in anno a. Chr. 5509 mundi originem ponebant. Quae aera quamquam in Siciliae quoque tribus carminibus, semel Neapoli invenitur, tamen nunquam inveteravit in occidente. Posterioribus enim temporibus in Italia aera Dionysiana, qua etiamnunc utimur, usurpari coepta est, quam cum ante saeculum septimum epitaphiis non adscriptam esse de Rossius luculenter ostendat, hi vero tituli Romani omnes, reliquae Italiae plerique illo saeculo priores sint, in eis nequaquam invenimus. Sicula autem illa carmina ut Neapolitanum, cuius paullo ante versus nonnullos proposuimus, mirum in modum turgide anni numeros declarant, cuius rei unum affero exemplum titulum Panormitanum:[6])

ὁ δ' Ἰανουάριος εἶχεν ἡμέραν
τὴν ἐσχάτην τε καὶ τελευταίαν μόνην,
ἰνδικτιὼν δ' ὑπῆρχεν ἡ τρίτη τότε

---

n. 9331. Anni *ςφο τετάρτου* mensis October cadit in annum p. Chr. non 1066, sed 1065, quocum congruit ind. *δ*.

n. 9333. Anni *ςφο ἐνάτου* December incidit in annum p. Chr. 1070 (Kirchh. adnotat 1071), cui convenit ind. *ϑ*.

n. 9336. Anni *ςφνγ* mensis December incurrit in annum p. Chr, non 1045, sed 1044, quocum consentit *ἰνδ. ιγ*.

n. 9344. Anni numeri notarum tertia corrupta est; tamen cum extrema sit *δ*, mensis autem December, scribendum erat annum esse inter 1015 et 1085 (Kirchh.: inter 1016 et 1086).

n. 9346. Anni *ςυ* mensis Februarius cum cadat in annum p. Chr. 892, indictio *ϑ* vero pertineat ab anno 890 usque ad annum 891, rationem non constare apparet. Sed Kirchhoffii coniectura *ἔτους ςυδ* nihil emendationis affertur, annus 896 enim ind. *ιδ* foret. Quodsi omnino emendare propositum erat — maxime tamen lubricum videtur — scribendum erat *ςυιδ* = 906, in quem annum cadit ind. *ϑ*.

n. 9348. Anni *ςυοδ* = 6474 mensis September cadit in annum p. Chr. 965 (Kirchhoffius adnotat 966).

n. 9535. Annus mundi 6648 est annus p. Chr. non 1141, sed 1139/1140; Ianuarius igitur eius anni mensis incurrit in annum 1140, quocum *ἰνδικτιὼν τρίτη* optime convenit.

n. 9540. Anni 6706 Ianuarius non cadit in annum p. Chr. 1199, sed 1198, quocum congruit *ἴνδικτος ἡ πρώτη*.

1) cf. n. 9120. 9121. 9134. 2) cf. n. 9146. 3) cf. n. 9153. 4) cf. n. 9152. 5) C. I. G. vol. III p. 1103. 1104. 6) n. 9535.

ἔτους διππεύοντος ἀκριβεστάτως
παραδρομούσης χιλιάδων ἑξάδος
ἐτῶν σὺν αὐταῖς ἑξακοσίων ὅλων
τεσσαρακοστοῦ σὺν ὀγδοάδι πάλιν.

Nonnulli tituli praeter mortis diem, alii illius loco eum praebent diem quo aliquis sepultus est, qui mos cum maxime in coemeteriis urbis inveniatur antiquiorum temporum peculiaris videtur esse. In Graecia unum eiusmodi titulum habemus,[1]) in occidente ad triginta, e quibus tres potissimum digni sunt, qui commemorentur, quia ex eis uno solum die intermisso mortuos a veteribus sepultos esse cognoscitur. Primo enim[2]) *Ἀγάθη* quaedam, vita defuncta *Παρασκευῇ*, traditur humata esse *Σαββάτοις*; alter[3]) indicat aliquem cum animam ediderit *ἐν μηνὶ Περιτίου*[4]) *ἕκτῃ*, terra obrutum esse *τῇ ἑβδόμῃ*; in tertio denique[5]) Bassus quidam dicitur postquam *ἐτελεύτησεν μηνὶ Ἰουλίου τρίτῃ ἅμα τετράδι*, i. e. die tertio exeunte quarto ineunte, depositus esse a. d. IV. Non. Iul., ut minus 24 horas intermissas fuisse appareat inter mortem et funus.

Ceteris, cum nihil doceant de tempore interposito, omissis transimus ad eos titulos plurimos, quibus quamdiu aliquis in vita fuerit indicatur. Ac nonnunquam quidem summatim ad quem aetatis gradum aliquis pervenerit traditur, id quod verbi causa praebent monumentum illud Panormi repertum:[6]) iacere ibi

— — — — — *Θεοδούλην*
θανοῦσαν ἐν γήραι τῷ βαθυτάτῳ

et titulus a Graecia oriundus:[7])

Τύτθον γευσαμένη βιοτοῦ φωτὸς ἐνθάδε κεῖμαι,

cui quidem titulo certus annorum numerus infra adscriptus est. Sunt quoque, in quibus obiter computati sint anni, cuius rei ut exempla nonnulla afferam habemus: (*ἐτελεύτησεν ὁ δεῖνα*) *ζήσας μικρὸν πρὸς ἔτη* $\overline{\iota\vartheta}$[8]) vel *ζήσασα ἔτη* $\overline{\iota\eta}$ *οὐδὲ μεστά*;[9]) aliud monumentum positum est *τέκνῳ μὴ πληρώσαντι δοιὼ ἔτη*[10]); saepius additur *πλέον ἔλασσον*: *ἔζησεν ἔτη πλέον ἔλαττον* $\overline{\lambda}$[11]) quae formula quid significaret ignorasse videtur is qui posuit titulum n. 9137, cum diceret *ἔζησε ἔτη* $\overline{\nu}$ *πλέον ἔλαττον μῆνας* $\overline{\gamma}$ *ἡμέρας δεκαπέντε*. Plerique vero huius generis tituli diligentissime non modo quot quisque peregerit annos, sed etiam quot menses et dies edunt, ac vel sunt, qui ut mortis horam, sic aetatis quoque horas indicent. Notabile vero est, magnam hac quoque in re intercedere dissimilitudinem inter occidentis inscriptiones atque orientis; nam cum ipsius urbis plus octoginta tituli de mortuorum

---

1) n. 9425. 2) n. 9476. 3) n. 9886. 4) Sic scriptum est pro *μηνὶ Περιτίῳ*; eodem modo n. 9873, quem statim afferemus, legitur *μηνὶ Ἰουλίου*, n. 9891: *μηνὶ Πανήμου*. 5) n. 9873. 6) n. 9535. 7) n. 9302. 8) n. 9764. 9) n. 9683. 10) n. 9567. 11) n. 9586.

aetatis spatio agant pariterque reliquae Italiae, Galliae, Germaniae monumentorum plurima huius rei mentionem faciant, toto oriente tredecim inveniuntur.

Annorum atque dierum mensiumve numeri expressi sunt aut genetivo: (*ἐτελεύτησεν ὁ δεῖνα*) *ἐτῶν μα̅, ἡμερῶν ς̅*[1]) sive *οὖσα ἐτῶν στ̅*[2]), aut *ζῆν* et *βιῶναι* verbis: *ἔζησεν Μαρτύριος ἔτη εἴχοσι δύο*[3]), *ἔζη μῆνας ι̅*[4]), (*ἐνθάδε κεῖται ὁ δεῖνα*) *ζήσας ἔτη κ̅*,[5]) *ζήσας τὰ πάντα ἔτη . . .*[6]), *ἐβίωσα ἐτῶν κθ̅*[7]), (*κεῖται ὁ δεῖνα*) *βιώσας ἔτη τε̅*[8]) et diligentissimum illud: *ἔζησεν ἔτη ι̅ μῆνας δ̅ ἡμέρας ιβ̅ ὥρας ι̅*[9]) ornatiusque (*ἐνθάδε κεῖται ὁ δεῖνα*) *ζήσας εἰς τὸν βίον τοῦτον . . .*[10]) vel *φδ̅ τὰ ἔτη τῆς ζωῆς ἐπὶ τῆς γῆς ἡμέραι ο̅*[11]) vel (*ἐνθάδε κεῖται ἡ δεῖνα*) *ζήσασα ἐν παροίκῳ ἔτη ιη̅*[12]) similiterque *ἐπεδήμησεν ἔτη*[13]). Insigne in hoc numero sepulcrum Umbricum[14]), in quo trium hominum summa annorum facta humati esse dicuntur *Οὐράνιος, Ἄννα, Θωμᾶς — ἑκατὸν ἐτῶν.*

Quae apud nos usitatissima est ratio, edendorum in monumentis dierum et *natalis et* supremi defunctorum, semel omnino in his titulis exstat: *ἐγεννήθη τῇ πρὸ ια̅ καλανδῶν . . . ίων. τελευτᾷ δὲ τῇ πρὸ . . . Σεπτεμβρίων*[15]) quo titulo annos taceri iure mireris. Aliud vero, quod a nostris moribus quantum scio alienum est, nonnunquam reperitur, dico *illud* litteris mandari quot annos aliquis in matrimonio vixerit: *μετ' αὐτῆς συνέζησα ἐνιαυτὸν μῆνας η̅*,[16]) *ἐποίησα μετ' αὐτοῦ μῆνας γ̅ ἡμέρας γ̅*[17]).

Haec hactenus de temporibus. Multo pauciores inveniuntur tituli, quibus mortuorum patria indicetur. Ex omnibus enim orientis inscriptionibus tantummodo quattuor de hac re aliquid tradunt, ut monumentum in Syria repertum:[18])

μνημεῖον τοῦ μακαρίου Στεφάνου ἀπὸ Ἀπαμείας,

ac ne occidentalium quidem sepulcrorum multis unde oriundi sint, qui in eis sunt humati, ostenditur. Tamen cum circiter triginta Italiae tituli ita comparati sint, illum morem *in* occidente aliquanto magis usitatum fuisse patet.

Longe vero alia ratio orientis et occidentis sepulcrorum est in ea re, de qua iam agendum erit: in addendo defunctorum loco atque condicione. Cum enim de temporibus ab orientis hominibus raro quicquam referri, in Italia paucas inscriptiones inveniri docuerimus, quae de hac re aliquid exponere neglegant, hominum dignitatem locumque occidentis titulorum quintus decimus quisque (ad 30 e 450) profitetur, orientalium omnino tertia pars, ita tamen ut Aegyptiorum Syrorumque monumenta ea re ad Romanorum similitudinem propius accedant, Asiae vero 133 titulorum duae fere partes (ad 80) huncce in modum compositi sint.

At omnium fere orbis terrarum populorum moris erat, id quod fert natura hominum,

---

1) n. 9278. 2) n. 9302. 3) n. 9485. 4) n. 9475. 5) n. 9487. 6) n. 9159. 7) n. 9294. 8) n. 9466 9) n. 9590. 10) n. 9434. 11) n. 9121. 12) n. 9683. 13) n 9557. 14) n. 9868. 15) n. 9497. 16) n. 9548. 17) n. 9552. 18) n. 9146.

ut laudibus mortuos ornarent. Quamquam reperiuntur tituli, in quibus pro humilitate, cui Christiani homines ab antiquissimis temporibus tamquam summae virtuti studebant, submisse de ipsis confiteantur defuncti. Velut Bonifacius Catinensis sibi videtur esse *πάμπαν ἁμαρτωλός*[1]), Valerius quidam Graecus *ταπεινὸς πρεσβύτερος τῆς ἁγίας καὶ καθολικῆς ἐκκλησίας* appellatur[2]), Syracusis autem iacet *Οὐλπία ἀναξία*[3]); deinde in Tamer episcopi epitaphio[4]) postquam de eo praedicatum est: *ἀναμάρτητον παρ' αὐτοῦ πραχθὲν ἅπαν ἔργον*, paullo modestius haec adduntur:

ἤ, καθὰ δὴ ἄνθρωποι,
ἁμαρτόντι ἄφες, ἀγαθὸς ὢν καὶ φιλάνθρω-
πος, καὶ συγχώρησον, ὅτι οὐκ ἔστιν
ἀνθρώπων, ὃς ζήσεται καὶ οὐχ ἁμαρτή-
σει· σὺ γὰρ μόνος ὁ θεὸς πάσης ἁμαρ-
τίας ἐκτὸς ὑπάρχεις δικαιοσύνη καὶ ἡ
δικαιοσύνη σὺ γὰρ εἶ.

Georgii denique archiepiscopi commemoro versus saeculo ineunte tertio decimo compositos et pro illius aevi consuetudine ad summum tumorem perductos[5]):

Οὐ δόξῃ θνητῶν ἀφρόνων ἐπηρμένος
ἔστησα κακῶς λιθοσύνθετον τάφον.
τίς γὰρ λόγος σκώληκος εὐτελεστάτου,
κἂν ἐν τόπῳ κρύπτοιτο κοσμιωτάτῳ;

Sed plerisque titulis aut aliquid laudis tribuunt aut amorem suum atque benevolentiam erga defunctos profitentur superstites. Statim vero apparebit, ea re dissimilitudinem saeculorum esse. Etenim cum in antiquioris aetatis titulis mortui praecipue eis epithetis ornari solerent, quibus superstites quam singulari amore illos amplexi essent significarent, posteriorum temporum haec ipsa, quae ad humanam caritatem voluntatemque pertinerent, omittere proprium erat. Itaque *γλυκύτατος* illud, quod a paganis hominibus omnium maxime usurpatum esse constat, in Christianis titulis nisi priorum saeculorum non invenitur, si quidem ex eis inscriptionibus licet conicere, quarum de temporibus certi aliquid liquet. Reperimus in urbe ad triginta titulos hanc vocem continentes, qui etiamsi non cuncti e coemeteriis eruti sunt, tamen omnes antiquoris aevi videntur esse. Praeterea omisso titulo 9870, qui, cum versibus sit compositus, nullo numero putandus est, duo tituli ab Italia oriundi vocem *γλυκύτατος* praebent, quorum alter[6]), Catanae repertus, Kirchhoffio auctore ad saecula quartum vel quintum referendus est, alterum[7]) V. Cl. Camaldolum e coemeteriis urbis allatum esse censet. In orientis vero titulorum numero hoc de quo agimus

1) n. 9474. 2) n. 9434. 3) n. 9464. 4) n. 9121. 5) n. 9438. 6) n. 9474. 7) n. 9548.

vocabulum sexies omnino exstat. Atque titulum 9172 quidem Kirchhoffius solum ex scriptionibus Coryci repertis quarto vel etiam tertio saeculo tribuit, similiter titulum 9[illegible] V. Cl. ex antiquioribus, saeculi tertii quartive, censet esse; idem titulum 9285 *inter* a[n]tiquissimos referendum arbitratur, utque sit fallax litteraturae species, ne sic quidem ter[tio] p. Chr. saeculo recentiorem iudicandum, deinde tituli 9268 et 9269 in *saeculo aut* quar[to] aut quinto ab eo ponuntur; de titulo 9439 denique Kirchhoffius: »titulus, inquit, *ex* a[n]tiquioribus, saeculi, ut videtur, p. Chr. tertii vel etiam secundi.« Cumque titulus 98[illegible] quoque Lugdunensis sicut ceterae Galliae inscriptiones Graeco sermone *compositae* prioribus saeculis sit adscribendus, iure mihi videor etiam ea paucissima monumenta *γλυκύτατος* vocem exhibentia, quorum de aetate certi nihil constat,[1]) antiquioris aevi esse affirmare. Similiter ceteras quoque voces, quae amorem superstitum significant, *velut ἀγαπητός, ἐπιθυμητός, ἐπιζητητός, ἀείμνηστος* aut *ἀείμνηστος ἐν θεῷ, ἀσύγκριτος, ἥδιστος, προςφιλέστατος, ποθεινότατος, γλυκερός, φῶς* denique appositum cum eorum, quibus continentur, titulorum plurimos antiquissimi constet esse aevi, posterioribus saeculis *ne unum* quidem certis indiciis cogamur tribuere, propter paganam originem paullatim in usu esse desisse putandum est. Proprium nimirum erat recentioris aetatis postpositis rebus humanis caelestibus potissimum studere. Itaque quae valerent ad efferendos mortuorum placidos mores iucunditatemque naturae, praecipue in antiquioribus titulis litteris mandabantur, recentioribus magis sanctitas pietasque erga Deum laudibus celebrabatur. *In* coemeterio Callisti, ut primum vetustioris illius generis exempla nonnulla afferamus, sepultus est Gorgonius quidam, *πᾶσι φίλος καὶ οὐδενὶ ἐχθρός*;[2]) de virgine quadam Romana legimus: *προςέκρουσεν οὐδενί*;[3]) similiter praedicantur *Ἑρμογένης καλῶς πράξας, μηδένα λυπήσας, μηδενὶ προςκρούσας*[4]) et *Νικηφόρος πλείστους φίλους προλιπών.*[5]) In hoc numero etiam Theodori cuiusdam Ancyrani referendus est titulus:[6])

Ἐνθάδε κεκοίμηται ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ Θεόδωρος
πρεσβύτερος τῶν ἁγίων καὶ ἀργυροκόπος, ὁ
πάντων φίλος.

Ad quem cum Kirchhoffius adnotat, *πρεσβύτερον τῶν ἁγίων* dici Theodorum »utpote qui esset ecclesiae praepositus sanctorum quorundam nominibus dicatae, quae cum a nemine ignorarentur, significasse satis habuerit quadratarius, non nominasse, vel etiam omnium,« nescio an erraverit V. Cl. Neque enim ea notione quam Kirchhoffius verbo subicit simpliciter presbyterum sanctorum aut martyrum quemquam appellare arbitror licere sed *πρεσβύτερος* cum is sit, qui conventui Christianorum consulit, ita solum aliquis presbyter sanctorum nominari potest, ut sancti sint homines Christiani; quam vim antiquio-

1) n. 3989 d. 3998. 4001 b. 2) n. 9670. 3) n. 9784. 4) n. 9689. 5) n. 99[illegible]
6) n. 9258.

ribus temporibus ἅγιος voci fuisse cum e compluribus litterarum divinarum locis[1]) apparet, tum his ipsis inscriptionibus comprobatur.[2]) Antiquioris autem aetatis esse hunc de quo agimus titulum inde cognoscitur, quod idem Theodorus ἀργυροκόπος fuisse i. e. artem argenti caelandi exercuisse dicitur. Quam cum Kirchhoffius recte doceat illa aetate non abhorruisse a clerici persona, etsi paullo ante[3]) omnes Galatiae titulos recentiores esse declaravit, tamen quin et ipse hoc certe monumentum ad antiquiora tempora pertinere censeat non est dubium.

Verum ut revertamur ad propositum, non raro coniuges aut fratres mortuorum erga se amorem laudibus ornant, velut in titulo[4]) Romano Artemisiae cuidam φιλάδελφος cognomen inditur, paullo post de eadem legitur: κατέλιπεν λύπην ἀδελφῷ, ἐμόνωσεν τὸν ἄνδρα; aliud monumentum ibidem repertum[5]) positum est a coniuge Θεοδώρᾳ τῇ γλυκυτάτῃ καὶ ἀειμνήστῳ συμβίῳ καλῶς συμβιωσαμένῃ καὶ ἀμεμπτοτάτῃ; de Carteria autem matre familias maritus haec profitetur:[6])

Ἡ πολλὰ ἀγρυπνοῦσα νῦν εὕδεις ἀμέριμνος,
Καρτερία γλυκυτάτη· εἰρήνη μενέτω σοι ἐν κυρίῳ.
Ἀσκληπιόδοτος συμβιώσας πενδεκαιδέκατον ἔτος
ἀντὶ πολλῶν εὐεργεσιῶν μνήμης χάριν ἔγραψα.

Similiter Aurelius Himerius quidam de uxore:[7])

Ἐπειδὴ συνέζησεν μετ᾽ ἐμοῦ τοῦ ἀνδρὸς
ἑαυτῆς καλῶς καὶ σωφρόνως ἔτη τριάκοντα
ἡ Στρατονείκη, νεόφυτα ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ κόσμου.
Καὶ ἐμνημόνευσα αὐτῆς τῆς εἰς ἐμὲ σωφροσύνης
καὶ ἐποίησα καλῶς μετὰ τοῦ υἱοῦ μου.

Philonici autem soror quam bene frater cum ipsa vixerit, his pronunciat verbis:[8])

Τῷ κυρίῳ ἀδελφῷ Φιλονείκῳ ἀδελφὴ
ἐποίησα ἀξίῳ ὄντι καὶ ζήσαντι καλῶς
μετ᾽ ἐμοῦ ἔτη ...

Hoc quoque saepius commemoratur, aliquem officio suo religiose functum esse; velut prope Laodiceam Lycaoniae repertum est monumentum, quod collocavit uxor Τινούτῳ, εὐλαβεστάτῳ διακόνῳ τῆς τοῦ θεοῦ ἁγίας ἐκκλησίας τῶν Ναυατῶν,[9]) atque in Isauriae sepulcro quodam acquiescit Μάρις ἀρχιδιάκων καλῶς ἐξυπηρετήσας τῷ λαῷ;[10]) inter Phrygiae autem titulos est monumentum

Ποιμένος ἀρίστου τῶν θεορρήτων λόγων,[11])

Lorii denique in via Aurelia quod repertum est sepulcrum[12]) hos versus exhibet:

1) Cf. Act. 9,32. Rom. 1,7. 2) Cf. n. 9598. 3) Cf. ad. n. 9250. 4) n. 9683. 5) n. 9741. 6) n. 9785. 7) n. 9704. 8) n. 9693. 9) n. 9268. 10) n. 9238. 11) n. 9267. 12) n. 9852.

Ἐνθάδε ἐν εἰρήνῃ κεῖται Ῥουφεῖνος ἀμύμων
θεοσεβὴς ἁγίων τε νόμων σοφίης τε συνίστωρ.

Neque vero doctrina solum aut rerum divinarum scientia laudibus effertur, sed etiam humili loco natos homines officium bene exsecutos esse superstites grato animo aestimant, cuius rei testimonio est titulus[1]) Seleuciae saeculo quinto sextove positus vespilloni cuidam ob operam strenue navatam a scholariis sive sagittariis domesticis, qui illis temporibus Ciliciae praesidia egisse videntur:[2])

Μνῆμα Ἰωάννου κοπιατοῦ ἀρεσα-
μένου πάντας σχολαρίους.

Omnibus nimirum temporibus pietas erga Deum summae laudi fuit. Itaque sexcenties scriptum legimus: *ἐνθάδε κεῖται ὁ (ἡ) δεῖνα δοῦλος (δούλη) θεοῦ* sive *Χριστοῦ* paulloque ornatius *θεοῦ δοῦλος πιστός.* Eodem modo hic dicitur *ἅγιος, θεοσεβής,*[3]) illa *ἁγία ἐν Χριστῷ,*[4]) vel *ζήσασα ἐν θεῷ.*[5]) Maritimae cuidam solatium praebetur Christum ei adesse: *εὐσέβεια γὰρ σὴ πάντοτέ σε προάγει*; in insula Gaulo iacet *Δομέστικος ὁ εὐσεβής, Χριστιανός*; hoc ipsum enim, aliquem Christianum fuisse, tanquam summa laude dignum antiquioribus saeculis litteris mandabatur. Quod cum in aequo poneretur pietati, saepius cum pius sanctusve vocibus coniunctum legitur; veluti Patris Achaiae sepulti sunt complures homines *Χριστιανοὶ ὄντες καὶ τὸν θεὸν φοβούμενοι;*[6]) similis sententia inest verbis *πιστός* atque *φιλόχριστος,* quae nonnunquam occurrunt, ut Romae: *Ἀλύπιος πιστὸς ἐν εἰρήνῃ,*[7]) in Cappadocia: *μνῆμα τοῦ φιλοχρίστου στρατιώτου Θεοδώρου,*[8]) in titulo denique Catinensi mutilato illo quidem, sed cuius verba nonnulla restitui potuerunt,[9]) aliquis vocatur *φιλόχριστος, πιστός .... πολυπόθητος παρὰ ἀδελφῶν.* Cariaeque in fragmento quodam[10]) *ὁ τὰ πάντα θεοφιλέστατος καὶ ὁσιώτατος.*

Praeter sanctitatem multas alias defunctorum virtutes collaudari consentaneum est. Alii laudibus tolluntur propter moderationem, velut titulo e Lycaonia oriundo legitur:[11]) *ἔνθα κεῖνται ὄστεα τοῦ σώφρονος Παύλου διακόνου* ornatiusque quinti saeculi tabula marmorea in terra Sicyonia reperta[12]) celebratur

ἀδελφὸς ἀγαθός, τὸ ὄνομα Νικόσ-
τρατος, μαρμαράριος, διὰ τὸν
φόβον τοῦ θεοῦ σώφρονα βίον δι-
άξας .... σώφρονα καὶ
χρηστὸν βίον πολιτευσάμε-
νος, πολυπόθητος παρὰ πατρὸς
καὶ ἀδελφῶν.

1) n. 9227. 2) Cf. ad. n. 9207. 3) n. 9598. 4) n. 9696. 5) n. 9866. 6) n. 9296 cf. n. 9527. 7) n. 9625. 8) n. 9240. 9) n. 9498. 10) n. 9271. 11) 9270. 12) n. 9301.

alii dicuntur vixisse *καλῶς* aut *ἀμέμπτως* vel *καλῶς καὶ ἀμέμπτως* et *ἀμέμπτως καὶ κάλλιστα*, aut fuisse *ἄμεμπτοι καὶ ἄλυποι* vel *ἀμεμπτότατοι* vel *χρηστοί*. Puella quaedam laudatur ut *βιώσασα ἁπλῶς καὶ ὁσίως καὶ ἀμέμπτως*;[1]) Acris iacet Marciane *σεμνὴ καὶ ἄμεμπτος βιώσασα εἰς τὸν κόσμον τοῦτον*,[2]) Catanae Tychimus *καλὸν βίον ζήσας*,[3]) Theodorus autem *ὕπατος καὶ δούξ* bene audit,[4]) quod fuerit *ἔν τε πίστει καὶ τρόπῳ σεπτός*. *Ἀγαθός* quoque epitheton nonnunquam mortuis tribuitur aut *ἀγαθὴ ψυχή* et *ψυχὴ καλή*, saepeque vocibus *σεμνός*, *σεμνότατος*, *σεμνὸς ἐν θεῷ*, *ἁγνός* superstites utuntur ad laudandos defunctos. Aliis locis mortui dicuntur *πάσης μνήμης ἄξιοι* aut *μακαρίας μνήμης* et *μακαριωτάτης μνήμης* aut *καλοκοίμητοι*. Narcisso denique puerulo, qui tertio aetatis anno animam efflavit, mater monumentum posuit: *τέκνῳ γλυκυτάτῳ ἀναμαρτήτῳ*,[5]) pariterque Dionysius infans quidam vocatur *νήπιος ἄκακος*.[6])

Addo satis antiquis iam temporibus tanquam virtutem in titulis celebratam esse viduitatem, veluti in sepulcro Meli reperto, quod Rossius tertii aut quarti certe saeculi esse iudicavit,[7]) compluribus clericorum defunctorum nominibus propositis iacere dicuntur *Εὐτυχία παρθενεύσασα καὶ Κλαυδιανὴ παρθενεύσασα*; atque etiam in titulo 9448, qui sexto septimove compositus est saeculo:

ἐνθάδε ἀναπαύεται ἡ εὐλαβεστάτη παρ-
θένος Εὐφημία δούλη τοῦ Χριστοῦ ...

illud *παρθένος* consulto appositum videtur esse. Recentioribus videlicet saeculis vel magis laudi fuit virum non habuisse, cuius rei exemplum affero monumentum a Galatia oriundum, quod et ipsum collocatum est Euphemiae cuidam:[8])

Εὐφημίας δούλης Χριστοῦ ἀμέμπτου, ἡ
ἀγνοήσασα ἄνδρα.

Eodem modo monachi quoque laudibus efferuntur, ut titulo Aquileiae reperto:[9])

Ἐνθάδε κεῖται Προκόπιος ὃς ἀσκήσας εὐγε-
νῶς ἔζησεν ...

Panormitanoque illo,[10]) qui celebrat

σεμνὴν μοναχήν, εὐσεβῆ Θεοδούλην.

Ac vel externa bona nonnunquam collaudantur. Athenis iacet

Εὐγενὴς ἀνὴρ Νικηφόρος,[11])

Coryci autem repertum est sepulcrum hominis cuiusdam *τοῦ εὐγενεστάτου τῶν εὐγενεστάτων τραπεζιτῶν*,[12]) Ravennae denique exstat lapis,[13]) quem saeculo septimo puero undecim annos nato posuit Isaacius patruus. Atque puerulus ille quidem in eo titulo audit

---

1) n. 9524. 2) n. 9473. 3) n. 9485. 4) n. 9543. 5) n. 9662. 6) n. 9574 7) n. 9288. 8) n. 9250. 9) n. 9879. 10) n. 9535. 11) n. 9309. 12) n. 9179. 13) n. 9870.

— — — *ἁπλοῦς, εὐγενής, γλυκὺς λίαν*

ipsi vero Isaacio aliquot annis post hoc monumentum collocatum est:[1])

Ἐνταῦθα κεῖται ὁ στρατηγήσας καλῶς
Ῥώμην τε φυλάξας ἀβλαβῆ καὶ τὴν δύσιν
τρὶς ἓξ ἐνιαυτοῖς τοῖς γαληνοῖς δεσπόταις
Ἰσαάκιος, τῶν βασιλέων ὁ σύμμαχος,
ὁ τῆς ἁπάσης Ἀρμενίας κόσμος μέγας·
Ἀρμένιος ἦν γὰρ οὗτος ἐκ λαμπροῦ γένους.

Recentiore aetate et haec et animi virtutes pro consuetudine aevi immoderate laudata esse testimonio sunt ei quorum iam saepius mentionem fecimus tituli. Atque Manuel quidem ille vocatur

τὸ . . . φέρον τὰ πρῶτα τοῦ λαμπροῦ γένους
καὶ βασιλικῆς ἐκ φυλῆς κατηγμένον
κομνηνόβλαστον κλῆμα τῶν ἐκ πορφύρας

paulloque post *τῶν χαρίτων ἡ βρύσις* et *φυτὸν τῆς ἀγαθοβρυσίας.*[2]) Siciliensium autem inscriptionum altera[3]) celebrat

— — *Λουκᾶν, κλεινὸν ἀρχιμανδρίτην*
ταῖς ἀρεταῖς λάμψαντα φωςφόρου δίκην
πολλοῖς φανέντα πρόξενον σωτηρίας,
μόνῳ θεῷ ζήσαντα τὸν πάντα χρόνον
καὶ σῶμα νεκρώσαντα καὶ πρὸ θανάτου.

altera[4]) intolerabili fere verborum pompa de mortuo, cuius nomen tacetur, hos versus pronunciat:

ἐκ μὲν γένους γὰρ οὗτος εὐγενοῦς ἔφυ
τῆς πατρικίων εὐφυοῦς ῥίζης κλάδος
συγκλητικῶν τε πατέρων καὶ πλουσίων.
ἐκ δ' αὖ ψυχῆς πέφυκεν εὐγενεστέρας,
πάσαις χάρισιν ἀρετῶν κεκασμένης·
ἐκάλλυνε δὲ τὴν φύσιν προαιρέσει
καὶ κατεκόσμει λαμπρότητα τοῦ γένους
τῶν ἀρετῶν χάρισι παντοιοτρόποις.

neque minus turgide Georgius Panormitanus deplorat coniugem

τὸν ἐν γυναιξὶ λαμπρὸν ἄλλον φωσφόρον,
τὴν μᾶλλον ἀστράψασαν ἄνθρακος λίθου,

---

1) n. 9869. 2) n. 9262. 3) n. 9539. 4) n. 9540.

τὴν κατάκοσμον ἀρετῶν ταῖς ἰδέαις,
τὸν εὐγενοῦς ὄρπηκα δένδρου καὶ κλάδον,
εἰρηνικὸν ζήσασαν Εἰρήνην βίον.
ἣν γαμετὴν ἔσχηκε παμφαεστάτην
Γεώργιος, φρόνησις ἄκρα καὶ γέρας,
ἀρχοντικῶν ὕπατος, ἄρχων ταγμάτων.
ἡ πραέως ᾤκησε γῆν ὡς Εἰρήνη.[1])

In his versibus hoc solum placet, quod Georgius ad uxoris nomen relatione facta Irenen *εἰρηνικὸν βίον ζήσασαν* dicit, quo laudis genere antiquiorum quoque temporum homines delectatos esse comprobatur compluribus titulis satis vetustis, ut Romano anno p. Chr. 298 composito:[2])

Σιμπλικία ἡ καὶ καλώνυμος ἔζησεν
ἔτη ια ἡμέρας κγ.

atque inscriptione e cryptis Ispicensibus effossa, quam ad annum p. Chr. 360 pertinere constat:[3])

Ἐνθάδε κεῖται Εὐτέρπη ἡ τῶν Μουσῶν
σύντροφος.

Aliud eiusdem moris exemplum praebet titulus Syracusanus,[4]) qui ab eis quos modo attulimus ea solum re abhorret, quod a nomine non petuntur laudes defuncti:

Ἡμέρᾳ κυριακῇ δεσμευθεῖσα ἀλύτοις καμάτοις ἐπὶ κοίτης
ἧς καὶ τοὔνομα Κυριακή, ἡμέρᾳ κυριακῇ παντὸς βίου λύσιν
ἔσχε τὴν ᾔτησε, πρὸ πρώτης καλανδῶν Μαίων.

Huius tituli extremis verbis, quibus Cyriaca mortem dicitur exoptavisse, adducimur ad quaestionem proponendam gravissimam. Ut enim bene veterum Christianorum mentes atque sensus perspiciamus, maximi momenti est cognoscere quid cogitaverint de morte, utrum malum an auctore Paulo apostolo *κέρδος* eam esse existimaverint, metuerint contempserintne, deploraverint denique mortuos an felices praedicarint.

Quod priusquam accuratius contemplemur, de ipsa moriendi notione, quae plurimis expressa est modis, liceat nonnihil disserere. Habemus *ἐτελεύτησεν, ἀπέθανεν,* pro quibus saepe tempora praesentia posita sunt: *τελευτᾷ, ἀποθνήσκει,* deinde *ἀπεβίω, ἀπεγένετο, ἀπέδωκεν,* quibus vocibus saepius additur *ἐν εἰρήνῃ* vel *ἐν Χριστῷ.* Nonnunquam verborum exornationibus quibusdam mors significata est: *κατέλιψα σῶμα χθονὶ πολυβοτείρῃ*[5]) aut *ᾤκησα τύμβον,*[6]) (quo loco *οἰκέω* verbum idem valet ac se conferre in aliquem locum). Plures tamen tituli nude docent hominem vivere desisse: *ἀνεπαύσατο, ἀνεπαύσατο ἐν θεῷ*

1) n. 9536. 2) n. 9622. 3) n. 9524. 4) n. 9452. 5) n. 9579. 6) n. 9865.

vel ἐν εἰρήνῃ, cuius verbi activum quoque genus semel usurpatur: ἀνέπαυσεν ἐν εἰρήνῃ:[1]) deinde aliquem e vita decessisse: ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ κόσμου.[2]) Similiter hic dicitur κοινοῦ βιότοιο ἄμοιρος,[3]) ille a morte ablatus esse: θάνατος αὐτὸν αἴρει τοῦ μέσου.[4]) Nullum vero vocabulum per omnes totius orbis terrarum partes in frequentiorem usum venit, quam κοιμᾶσθαι, quod cum omnino fidei Christianae optime videretur convenire, tum ab ipso Christo adhibitum esse constabat, qui de Lazaro: Λάζαρος, inquit, ὁ φίλος ἡμῶν κεκοίμηται.[5]) Sexcenties igitur legitur ἐκοιμήθη, ἐκοιμήθη ἐν κυρίῳ, ἐν εἰρήνῃ, ἐν θεῷ, ac vel verbum compositum ab hac voce repetitum est, quod exstat in titulo Smyrnaeo:[6])

Ἐνθάδε κατάκειται.. Τιμοστράτη, θυγάτηρ
γενομένη τοῦ προκοιμηθέντος Φιδηλίου.

Ut κοιμᾶσθαι voce ita multis aliis verbis quae Christianorum veterum de morte opinio fuerit cognoscitur. Ac reperiuntur quidem sententiae, quas neque paganorum peculiares neque Christianorum dicere liceat, sed omnium hominum, ut hoc:

τὸ δ' ὀφειλόμενον ἀπέδωκα τῇ φύσει τέλος[7])

aut mollissimum illud, quod puellula sex annos nata de se ipsa profitetur:

Τύτθον γευσαμένη βιότου φωτὸς ἐνθάδε κεῖμαι
καὶ σφετέρων τοκέων πᾶσα παραιφασίην.[8])

ac ne ea quidem desunt, quae paganorum magis quam Christianorum cogitationibus respondeant. Nihil dico de titulo Romano,[9]) qui cum paganis prorsus conveniat moribus, a Kirchhoffio demum in titulorum Christianorum numero relatus est:

Τίς βροτὸς οὐκ ἐδάκρυσ', ὅτι τόσσον κάλλος ἀπῆλθεν
εἰς ἀέρα;
ἣν ἥρπαξαν ἀπὸ γονέων Μοῖραι κτλ.,

omitto etiam monumenti illius anno p. Chr. 1140 Panormi collocati[10]) versus:

Αἰφνιδίως Ἅρπυια χαλεπὴ πότμου
ἄωρον ἀφήρπασεν.

recentioris enim aevi carminum iam diximus proprium esse morem veteres imitandi; sed idem vocabulum ἁρπάζειν vel in coemeterio quodam legitur:

ἡρπάγη Ἀντῶνις.[11])

atque etiam quod titulus Syracusanus supra allatus habet: Κυριακὴ παντὸς βίου λύσιν ἔσχεν, a nostrae fidei ratione alienum videtur.

At pleraeque moriendi significationes tales sunt, quales nisi a Christianis non potuerunt usurpari. Primum commemoro ἐτελειώθη vocabulum apud omnes pervulgatum, deinde formulam ἐχρήσατο τέλει τοῦ βίου τούτου, quae cum praeter Aegypti Nubiaeque complures

1) n. 9848. 2) n. 9704. 3) n. 9727. 4) n. 9540. 5) Joh. XI, 11. 6) n. 9277. 7) n. 3964. 8) n. 9302. 9) n. 6223 b. 10) n. 9536. 11) n. 9676.

titulos non reperiatur, illius orae peculiaris videtur esse, simileque quiddam: (*ἐνθάδε καθεύδει ὁ δεῖνα*) *προαπελθὼν τοῦ καθ' ἡμᾶς βίου.*[1]) Tum illorum admoneo verborum, quibus vita perigrinatio esse declaratur, qua peracta homines per ipsam mortem corpore soluti ad proprias sedes evolent, veluti Syrus quidam de se ipse profitetur: *ἐπεδήμησα καλῶς, ἦλθα καλῶς, κεῖμαι καλῶς;*[2]) eadem fere sententia profertur verbis e Pauli epistola altera ad Corinthios missa[3]) petitis: *τὸ γήεινον σκῆνος ἀπελύθη*, et mox: *ἀπέστη τῶν ἐνταῦθα πολυστενάκτων κακῶν;*[4]) e Petri autem epistola priore[5]) depromptum videtur, quod in titulo Asiatico[6]) aliquis dicitur e vita decessisse *παροικήσας ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ ἔτη. . . .* Pariter tituli nonnulli Acris reperti mortuum in sanctorum sedes profectum esse declarant: *χωρεῖ εἰς χώραν δικαίων*[7]) aut *ἀπεχώρει πρὸς κύριον,*[8]) in Tameri denique sepulcro supra commemorato[9]) superstites ab episcopo, qui quasi dux itineris fuerit, desertos sese esse queruntur: *ἀπέδρα ὁδηγήσας.*

Non minus decet hominem Christianum quod in eodem titulo vita Dei donum ipsique reddenda esse dicitur: *σοὶ τὴν δωρεὰν ἀναπέμπομεν τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι*, aut quod titulus in Lycaonia repertus[10]) praebet, aliquem a Deo receptum esse:

δοκιμάσας θεὸς σαόφρονα
εἵλατο δοῦλον αἰθέρι.

similisque quam monumentum Siculum[11]) exhibet sententia: *ψυχὴν δέδωκε χερσὶν ἀγγέλων*, atque hoc: morte finitam esse vitam huius spatii, incipere veram vitam, quod in sepulcro Phrygio[12]) habemus posito liberis *τοῖς ὑπὸ ἕνα καιρὸν ὀνηθεῖσιν τὸ τῆς ζωῆς μέρος.* Mors denique cum nunc nominatur *ἡ ἐκ βίου ἐπὶ τὴν δικαιοσύνην μεταβολή,*[13]) nunc *κατάπαυμα τῶν μακρῶν πόνων,*[14]) ex his ipsis appellationibus de sensu Christianorum aliquid cognosci potest.

Ut vero iam de quaestione, quam paullo ante movimus, accuratius disputemus, Dryander quidem in libello brevi abhinc tempore edito[15]) et Krausius[16]) ita disserunt de ea, ut Christianos homines omnino non luxisse explicent mortem suorum, sed spe vitae aeternae erectos vel voluptatem cepisse e decessu eorum. Qua in re nescio an viri clarissimi, provecti studio laudibus tollendorum pristini aevi Christianorum, a veritate paullum aberraverint. Non quin et ipse quantum intercedat discrimen inter paganorum et Christianorum titulos cognoscam subscribamque Krausio censenti Christianos in universum mortem, quippequae divinitus accidat, aequo animo tulisse. At nego, id quod Dryander vult, adeo a Christianorum moribus abhorruisse lamentationes, ut ne in uno quidem titulo oc-

---

1) n. 9449. 2) n. 9151. 3) II. Cor. 5, 4. 4) n. 9119. 5) I. Petr. 2, 11. 6) n. 9259. 7) n. 9472. 8) n. 9473. 9) n. 9121. 10) n. 9269. 11) n. 9540. 12) n. 9266. 13) n. 9474. 14) n. 9438. 15) »Ein Besuch in den römischen Katakomben« in »Deutsch-evangelische Blätter« von Beyschlag und Wolters Jahrg. I. Heft 2. 16) l. l. p. 420 sq.

currant.[1]) Immo sunt, quibus non modo vehementer querantur Christiani homines, sed vel incusent sive fatum sive Deum. Ut omittam *ἁρπάζειν* vocabulum, quod iam ostendi a Christianorum sensu atque ratione alienum esse, exemplum affero primum inscriptionis illius e coemeterio S. Urbani erutae verba extrema:[2])

κατέλιπεν λύπην ἀδελφῷ, ἐμόνωσεν τὸν ἄνδρα.

Similiter titulo Atheniensi[3]) uxor conqueritur, quod maritus sibi sit ereptus

μόνην ἐάσας γαμετὴν καὶ ἄχαια[4])
νήπια τέκνα,

Syracusano autem satis vetusto,[5]) ut videtur, Ulpia quaedam morti sese peperisse filiam his acerbis declarat verbis:

Οὐλπία δεῖμε τεκοῦσα Θεοκτίστην λαγόνεσσιν,

ac vel acerbius in titulo Catinensi, quem quarto vel quinto saeculo Kirchhoffius tribuit,[6]) pater pueruli post decem menses erepti mortem ipsam affatus:

Ἅπασα γαῖα, inquit, *καὶ πλατὺς ἀὴρ*
γεννᾷ σοι, θάνατε.
ἐξαπίνης μου τὸ βρέφος ἥρπασέ
τις ἀνάγκη· εἰ γὰρ ἐγήρα· οὐχὶ
σοὶ ἐγεννήθη ὁ κῦρις Ἀγάθων κτλ.

Maxime vero notabile est marmor effossum in coemeterio Priscillae,[7]) quo homo quidam gravissime in Deum invehitur, quod cum ipse nihil unquam in se admiserit tantum malarum rerum sustineat:

Σύνοιδα ἐμαυτῷ μηδέν ποτε δράσας κακόν·
εἱμαρμένῃ δὲ περιπεσὼν κακῇ καὶ βασκάνῳ πικρῷ
ἔπαθον τοιαῦτα οἷα μηδεὶς πώποτε.
Ὁ γὰρ περὶ τέκνα πλούσιος γεγὼς
ἐστερήθην μετὰ μητρὸς αὐτῶν, συμβίου σεμνῆς καί σώφρονος.
ὁποῖα δ' ἦσαν ἐπὶ τόπῳ βλέψον τέκνα.

Eiusdem marmoris pars aversa haec exhibet:

---

1) l. l. p. 99: »Und wagen auch heidnische Darstellungen auf Sarkophagen, wie die der Proserpina und ihrer Wiederkehr zum Licht, die des Adonis mit der darauf folgenden Auferstehung sich heran bis zu dem Gedanken einer seligen Unsterblichkeit, hier an den Christengräbern gibt es gar keinen andern Gedanken. Allenthalben nur die eine Hoffnung: der Todestag ist der Geburtstag für eine selige Ewigkeit.« Cf. Kraus. l. l. p. 221: »Hier stösst kein Vater, kein Wittwer bittere Vorwürfe gegen das Fatum oder gar Drohungen und Verwünschungen gegen die Mächte des Jenseits aus, die ihm den Gegenstand seiner Liebe und Zärtlichkeit entrissen haben« 2) n. 9683. 3) n. 9309. 4) Ad vocem *ἄχαια* Kirchhoffius adnotat »i. e. *ἄχεα*;« sed ne sic quidem, quid sibi velit liquet. Itaque corruptelam latere in hoc vocabulo arbitror scribendumque fortasse pro *ΑΧΑΙΑ ΑΘΛΙΑ*. 5) n. 9454. 6) n. 9475. 7) n. 9688.

Ὁ ποτε πλούσιος περὶ τέκνα νῦν κακὸν
κακῶς τηρῶν ὡς Τάνταλος κλαίω πικρῶς.

Ad quem titulum quod Kirchhoffius adnotat dubitari posse, an non Christianus sit, quamquam prorsus adstipulor V. Cl., tamen illud est, quamobrem Christianum existimem eum esse, quod in coemeterio repertus est. Fieri quidem potuit atque est factum, ut a Christianis tabulae, quibus iam antea pagani homines usi erant, in ipsorum sepulcreta transportata in parte aversa inscriberentur. Hoc vero marmor, quoniam et frontis et tergi versus ab eodem compositos esse apparet, non putandum est pagano cuiquam usui fuisse.

Eadem fere ratio est tituli in Ceo insula reperti,[1]) quem Kirchhoffius ad sextum saeculum pertinere censet, qui tametsi paganorum magis respondet quam Christianorum fidei tamen quin Christiano aevo sit compositus dubitari non potest. Multo felicior hoc titulo ab uxore superstite defunctus praedicatur ipsa, quod in beatorum sedes a Deo receptus coniugis funus non viderit:

Ἆ μάκαρ, οἷος φθὰς ἀλόχοιο φίλης προπάροιθε
. . . . . εἰς μακάρων χῶρον . . . . ἐλθεῖν
μοῖραν ἀναπλήσας, τὴν σοὶ πόρε δαίμονος αἶσα.
οὕτω γάρ σε φίλησε πατὴρ θέος αἰθέρι ναίων,
ὡς μὴ πένθος ἄτλητον ἑλεῖν σε τεὰς φρένας εἴσω
μηδὲ . . . . ἀλόχοιο φίλης . . . . θανούσης
μόρσιμον ἦμαρ ἰδεῖν· ἐπεὶ οὐδέ νυ σὴ παράκοιτις
. . . . . . αἰεὶ μεμνημένη σεῖο
ἤματα καὶ νύκτας οὐ παύεται δακρυχέουσα
τηκομένη χρόα καλόν.

Tertiusque his conferendus est titulus Phrygius,[2]) qui cum *τὸν ζῶντα θεὸν* et *κρίσιμος ἡμέρα* verba praebeat, cur Franzius adnotaverit: »titulum cave Christianum putes« non liquet. In eo enim Menandri versus quidam afferuntur in hunc modum immutati:

καλὸν τὸ γηρᾶν καὶ τὸ μὴ γηρᾶν τρὶς λέγω κακόν.
καλὸν τὸ θνήσκειν οἷς τὸ ζῆν ὕβριν φέρει.

Cumque his quos proposuimus titulis semet ipsos superstites deplorent, habemus eos quoque, quibus mortui, tamquam mali aliquid eis acciderit, defleantur, velut virgo quaedam inimicorum dolo interempta in secundi saeculi inscriptione[3]) *ταλαίπωρος ἄωρος παρθένος* appellatur ipseque Theosterictus sibi videtur *οἰκτρὸς* esse.[4])

Quae cum ita sint, vix opus arbitror esse, carmina illa proponere, quibus compluries

---

1) n. 9291. 2) n. 3902r. 3) n. 9292. 4) n. 9544

iam docui immoderate atque tumide quid qui fecerunt senserint exprimi. **Isaacium** exempli causa uxor dicitur deplorare turturis modo:[1])

τούτου θανόντος εὐκλεῶς ἡ σύμβιος
Σούσαννα σώφρων τρυγόνος σεμνῆς τρόπῳ
πυκνῶς στενάζει ἀνδρὸς ἐστερημένη.

quique eiusdem aetatis est titulus Barberini repertus,[2]) haec fere praebuisse **videtur:**

ὦ τύμβε πικρὲ καὶ μισόβροτε πάνυ
ἔχθιστε, παγκακίστη πασῶν βασάνων,
οὐδείς σε θνητῶν ζῶν ἀγαπᾷ προςβλέπων.
ἀλλ' εἰ ἅπαντα τὸν τύμβον μισεῖ σφόδρα
ἔπειτα τῇ σῇ γαστρὶ κρύπτεται τάφῳ.

Maxime vero etiam hac re titulos Siculos insignes esse iam nemo erit qui miretur. Ut nihil dicam de Irenes Panormitanae sepulcro,[3]) cuius hi sunt primi versus:

Αἰφνιδίως Ἅρπυια χαλεπὴ πότμου
ἄωρον ἀφήρπασεν· ὦ δεινοῦ πάθους·

in Messaniorum altero[4]) decem ipsis versibus deploratur mortuus incusaturque *θάνατος*, quod neglectis et divitiis genereque et virtutibus et gloria illum e medio sustulerit

φλόγα βαλὼν ἄσβεστον ἐν τῇ καρδίᾳ
καὶ σπλάγχνα τήξας τῆς ταλαίνης συζύγου
στέρησιν ἀνδρὸς ἀγαθοῦ λυπουμένης
καὶ τὴν μόνωσιν, πρὸς δὲ τὴν ἀτεκνίαν.
γείτονες αὐτὸν δακρύουσι καὶ φίλοι,
ζητοῦσι τὸν τροφέα πτωχοὶ καὶ ξένοι·
ἀλλ' οὐδὲ τὰ δάκρυα τὰ τῆς συζύγου
οὐ τοὺς ὀδυρμοὺς τῶν φίλων καὶ τῶν ξένων
θάνατος οἰκτείρησεν, ἀλλὰ παρεῖδεν.
ἔχει γὰρ ἀμείλικτον ὄντως καρδίαν.

Quantopere ab his versibus distant ei quos puellam illam septimo aetatis anno defunctam superstites loquentem faciunt.[5]) Breve, inquit, vitae meae spatium fuit,

ἀλλ' ἔμπης, ψυχή, μέγα γήθεο· δίκτυα λυγρὰ
καὶ γοερὰς παγίδας προὔφυγον ἀμπλακίης.

Eadem sententia, morte homines peccatis liberari, compluribus expressa est inscriptionibus et antiquioris aevi et recentioris. Atque ille quidem quem modo attulimus titulus quinti

---

1) n. 9869. 2) n. 9865. 3) n. 9536. 4) n. 9540. 5) n. 9302.

videtur esse saeculi, Isaacius autem in monumento, quod saeculi septimi initio fratris filio posuit: *ἄνω*, inquit[1])

— — — πρὸς τὸ θεῖον ἡ ψυχὴ μένει
ποθοῦσα φῶς ἄφθαρτον, ὃ τρανῶς βλέπει
τὸ πᾶν ῥύπος φυγοῦσα τῆς ἁμαρτίας.

Georgius denique archiepiscopus exeunte saeculo duodecimo commemorat[2]) suos *στεναγμοὺς* et *ἱκετηρίας*,

δι' ὧν θεὸς δίδωσι εὐμαρῆ λύσιν
δεσμῶν, ὅσους πλέκουσιν αἱ πονηρίαι.

ac vel in titulo illo Barberini reperto, quo pueruli cuiusdam mortem immoderate deplorari paullo ante ostendimus,[3]) defunctus dicitur *οἰκῆσαι τύμβον φεύγων τὰς ἁμαρτίας.*

Deinde mortem omnium laborum molestiarumque finem facere docent ei quos supra proposuimus tituli, Romanus:

ἡ πολλὰ ἀγρυπνοῦσα νῦν εὕδεις ἀμέριμνος,[4])

Syracusanus,[5]) quo Cyriace illa fertur propter *ἀλύτους καμάτους αἰτῆσαι βίου λύσιν*, Corcyraeus,[6]) quo *κατάπαυμα τῶν μακρῶν πόνων* mors appellatur; atque etiam inscriptionis Romanae n. 9840 valde mutilatae extremis verbis... *ὥςπερ ἤλπισε* nescio an similis sententia insit: virginem sperasse, aegrotatione sese liberatum iri. Quae vero in Agathes cuiusdam monumento[7]) exstant verba: *χάρις οὖ τῷ Κυρίῳ καὶ τῷ Χριστῷ*, aut ita accipienda sunt, ut Deo gratias agi putemus, quod mulierem sexaginta annos natam morbo quodam diuturno liberaverit, aut de vita aeterna facta sunt.

Maxime enim ideo mors exoptatur, quod caeli quasi aditum patefaciat. Quisquis igitur honeste se vixisse sentit, non habet, cur timeat mortem, immo vero laete exspectare potest. Itaque Bonifacius ille cuius iam mentionem fecimus[8]):

πᾶσιν, inquit, *ἡμῖν τοῖς ποθοῦσιν*
ζωῆς αἰωνίου τυχεῖν προςκείσθω καὶ ἡ τῆς
ὑπομονῆς πρᾶξις, δι' ἧς καὶ πολλοὶ ζωῆς οὐρανίου ἔτυχον.
Ὅθεν κἀγὼ ὁ πάμπαν ἁμαρτωλὸς ηὐξάμην τοῦ βίου
τούτου τὴν παροικίαν τάχιον ἐκφυγεῖν καί γε εὐξά-
μενος τούτου ἔτυχον·

saepiusque, qui vita defuncti sunt, dicuntur iam fructum sanctae vitae percipere, velut titulo Atheniensi[9]) homo quidam laudatur:

τὸ γὰρ γέρας τρόπου γε τοῦ χρηστοῦ λάχεν,

---

1) n. 9870. 2) n. 9438. 3) n. 9865. 4) n. 9785. 5) n. 9452. 6) n. 9438.
7) n. 9476. 8) n. 9474. 9) n. 9319.

Nubico[1]) Deus imploratur, ut mortuum ad se recipiat *μισθαποδοτήσας*, lapidem **autem** e coemeteriis urbis Pisaurum transportatum[2]) posuerant Romae parentes

Εὐνείκῳ καλῶς ἠξιωμένῳ τὴν χάριν τοῦ θεοῦ

Catanaeque iacet[3]) Eutychianus quidam

πίστεως χάριν Ἀβρὰμ καὶ Ἰσὰκ ἐν κόλποις
τόπον λαχών.

Deinde Lucas ille archimandrites audit[4])

τὰς ἀμοιβὰς σῶν πόνων δεδεγμένος,

eandem videtur exhibere sententiam inscriptio Constantinopolitana:[5])

χαίρετε οἱ καλῶς θα-
νόντες .... ἄξιοι ... τῆς ἀναπαύσεως.

Complures denique tituli ad Iacobi epistolam spectantes[6]) mortuos *στέφανον τῆς ζωῆς* assecutos esse declarant, ut monumentum in Ithaca insula repertum:[7])

Στεπτὲ Ἰωσήφ, χαῖρε.

et Smyrnaeum,[8]) quo defunctus quasi cursor palma accepta de vita dicitur decedere:

Νῦν κόσμος ἡδύς, σχῆμά σοι θεῖον μέγα.
νῦν οὖν βάδιζε πρὸς θεὸν στεφηφόρος.

Mortui scilicet, ut iam transeamus ad ea inquirenda, quae de caelo et de vita aeterna senserint veteres Christiani, praecipue ad Deum vel in angelorum aut sanctorum sedes recepti esse putantur. Complures inscriptiones e coemeteriis urbis effossae de hac re aliquid praebent, velut n. 9580: *Δωροθέου τοῦ γλυκυτάτου. ἐν εἰρήνῃ ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, μετὰ δικαίων ἡ ψυχὴ αὐτοῦ.* n. 9685: *Ἰουλία ἐν εἰρήνῃ μετὰ τῶν ἁγίων.* n. 9686: *Ὁ θεὸς .. εἰς τόπον ἁγίων σοῦ Νεκταρέου τὸ ψυχάριον ἐνέγραψε.*

Quamquam non omnibus titulis, quibus *μάκαρες* sive *ἅγιοι* memorantur, caelum designatur, immo potius nonnunquam sepulcretum, in quo *ἅγιος* quidam aut *μάρτυς* humatus est, significari docet titulus e Priscillae coemeterio effossus,[9]) cuius versum primum:

Ἐνθάδε Παυλεῖνα κεῖται μακάρων ἐνὶ χώρῳ

non licet aliter interpretari ac de ipso in quo *μάκαρες* requiescunt coemeterio. Plerumque vero *ἁγίων τόπος* similibusque vocibus caelum ostendi testimonio sunt aliarum quoque regionum tituli, ut iam supra commemoratum est hominem quendam Ceum *εἰς μακάρων χῶρον* dici *ἐλθεῖν*,[10]) atque in titulo Thebis Aegypti reperto[11]) legitur: *ὁ θεὸς ἀναπαύσῃ ἐν σκηναῖς ἁγίων*, Nubiae autem complures exhibent verba *ὁ θεὸς ἀναπαύσῃ τὴν ψυχὴν αὐτῆς ἐν σκηναῖς ἁγίων*[12]) vel *ὁ θεὸς ἀνάπαυσον τὴν ψυχὴν αὐτοῦ μετὰ τῶν ἁγίων σου*[13])

1) n. 9124. 2) n. 9846. 3) n. 9494. 4) n. 9539 5) n. 9447. 6) Iacob. 1, 12.
7) n. 9437. 8) n. 9283. 9) n. 9696. 10) n. 9291. 11) n. 9111. 12) n. 9112.
13) n. 9122.

vel ἀρίθμησον αὐτὸν ὁ θεὸς μετὰ τῶν ἁγίων σου[1]) similia, adiecta omnibus fere ἀμήν voce, quae nisi in illa ora non occurrit. Atque in his quidem titulis ἅγιοι intelleguntur cum ceteri veteris testamenti viri sancti tum patriarchae qui vocantur, itaque illarum regionum plerique tituli praebent formulam aliunde non notam:

ἀνάπαυσον τὴν ψυχὴν τὴν δούλην σου τοῦ
δεῖνα ἐν κόλποις Ἀβραὰμ καὶ Ἰσὰκ καὶ Ἰακώβ,

vel

ὁ κύριος ἀνάπαυσον τὴν
ψυχὴν τοῦ δεῖνα ἐν κόλποις τῶν ἁγίων
πατέρων Ἀβραὰμ καὶ Ἰσὰκ καὶ Ἰακώβ.

In Aegyptum enim cum iam inde a septimo ante Christum saeculo plurimi Iudaei immigrassent, Ptolemaeorum autem temporibus innumerabiles fere eius gentis homines ibidem consedissent, consentaneum est, plerosque horum de quibus agimus titulorum scriptos esse ab hominibus, qui e Iudaeis Christiani facti erant, quod cum illa formula cognoscitur tum nominibus, quorum permulta, velut Ἀβραάμ, Ἰακώβ, Σαμσών, Μαρία, Iudaeorum sunt. Illa vero formula cum extra Aegyptum Nubiamque duobus solum titulis praebeatur, non dubitandum est quin illius orae sit peculiaris. Quamobrem titulum illum Catinensem, cuius modo attulimus verba:[2])

(ὁ δεῖνα κεῖται) πίστεως χάριν Ἀβρὰμ καὶ
Ἰσὰκ ἐν κόλποις τόπον λαχών

aut ex Nubia allatum aut in Sicilia ab homine Africano scriptum esse censemus, pariterque titulum n. 9533, nescio quo Siciliae loco repertum:

Μνήσθητι ὁ θεὸς τῆς
δούλης σου Χρυσίδος
καὶ δὸς αὐτῇ χώραν φω-
τινήν, τόπον ἀναψύ-
ξεως εἰς κόλπους Ἀβρα-
άμ, Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ. Ἀνεπαύ-
σατο ἡ μακαρίας μνήμης τῇ
πρὸ ᾱ νωνῶν Μαίων.

Huius enim inscriptionis priora quoque verba congruunt cum titulis a Nubia oriundis, quorum unus[3]) exhibet verba:

ἀνάπαυσον τὴν ψυχὴν τὴν δούλην σου Ταμὴρ
ἐπισκόπου ἐν κόλποις Ἀβραὰμ καὶ Ἰσὰκ καὶ

[1]) n. 9123. [2]) n. 9494. [3]) n. 9121.

Nubico[1]) Deus imploratur, ut mortuum ad se recipiat
coemeteriis urbis Pisaurum transportatum[2]) posuer

Εὐνείχῳ καλῶς ἠξιωμένῳ

Catanaeque iacet[3]) Eutychianus quidam · ψυχὴν

πίστεως χάριν 'Αβ· -ν τῷ ἀναψύξεως
τόπον λαχών.

Deinde Lucas ille archimandrit .tque μάκαρες voces praebentur, omnes

τὰς ἀ· .ta beati aevo sempiterno fruuntur, velut

eandem videtur exhibere us est, quo mortuus cum eisdem quibus antea

.ἦδέ γ'· ἀλλ' εἰς αἰθέρα

Complures d σύνεστιν οἷς τὸ πρίν.

assecutos docet titulus Ravennae conservatus[4]) hisce verbis:

et ·inde ad Deum de... τάφῳ τὸ γὰρ μὲν σῶμα κρύπτεται κάτω,
ἄνω δὲ πρὸς τὸ θεῖον ἡ ψυχὴ μένει,

similiaque praebent tituli nonnulli Asiatici:

δοξάσει ὁ θεὸς ὀνόματος αὐτοῦ χάριν[5]).
μνῆμα τοῦ δεῖνα, οὗ ὁ κύριος τὸ πνεῦμα
ἐν ἀνέσει ποιήσει[6])

et:

illudque, aliquem esse παρὰ θεοῦ δοξασθέντα.[7]) Angelorum denique mentio fit duobus solum eisque recentissimi aevi titulis: decurtato illo Barberini reperto,[8]) cuius versu extremo, si quidem recte a Kirchhoffio verba suppleta sunt, mortuus vocatur

συνὼν χορείαις τῶν ἁγίων ἀγγέλων

et in Georgii Panormitani sepulcro, cuius aliquot versibus mortuus dicitur ab angelis ad Christum duci:

— — χοῦν μὲν αὐτῆς ἐνθάδε κρύπτει τάφος,
τὴν δὲ ψυχὴν φέρουσιν ἀγγέλων χέρες
νύμφην ἄμωμον, ἁγίαν τῷ δεσπότῃ
τῷ νυμφαγωγῷ καὶ καθαρῷ νυμφίῳ
καὶ νῦν χορεύει νυμφικῶς ἐσταλμένη,

---

1) n. 9116. 2) Eiusdem orae alia quoque formula propria videtur esse. Quod enim apud nos admodum usitatum est, ut alicui numine divino vitam ablatam esse profiteamur, in his titulis ter omnino occurrit. Semel Thebis (n. 9111) legitur: Τῇ τοῦ θεοῦ δεσπόζοντος ζῶντάς τε καὶ νεκροὺς προνοίᾳ ἐχρήσατο ἡ δεῖνα τέλει τοῦ βίου τούτου μηνὶ . . . κτλ.; in Nubia autem et illa verba semel exstant (n. 9112) et haec, quae proxime accedunt ad nostrum loquendi morem: Κατὰ τὴν τοῦ παντοκράτορος θεοῦ ἀμετάθετον ἀπόφασιν . . . ἀπέστη τῶν ἐνταῦθα πολυστενάκτων κακῶν κτλ. (n. 9119). 3) n. 9319.
4) n 9870. 5) n. 9178. 6) n. 9240. 7) n. 9263. 8) n 9865.

τῶν ἀρετῶν τὸν πέπλον ἠμφιεσμένη
καὶ τοῖς καλοῖς ἅπασιν ὡραισμένη
καὶ τῶν θεικῶν ἀκτίνων πεπλησμένη.

s aliis vitae aeternae nominibus, velut *ἡ Ἐδὲμ κληρουχία* eisque quae alio iam loco noravimus, *ζωὴ αἰώνιος* et *ζωὴ οὐράνιος*, quae exstant in Bonifacii monumento,[1]) tituli verba extrema liceat afferre, quae sententiam maxime insignem praebent:

Μετὰ τὴν ἐκ τοῦ βίου ἐπὶ τὴν δικαιοσύνην μεταβολὴν
διὰ παντὸς τοίνυν τοῦ ἀναισθήτου βίου ἡ κοίμησις δοθήτω μετὰ
τῆς ἐν Χριστῷ συνδούλης μου καὶ τῆς γλυκυτάτης μου μητρός.

ıihil dicam de mortis significatione: *ἡ ἐκ τοῦ βίου ἐπὶ τὴν δικαιοσύνην μεταβολή* ra — *δικαιοσύνη* enim vox hoc loco pro *κρίσις* usurpata videtur esse — admodum ... est sententia verborum, quae insequuntur. Etenim quoniam vita aeterna ipsa nullo modo appellari potest *ἀναίσθητος βίος* neque beatos *κοιμᾶσθαι* dicere licet, haec verba, id quod Kirchhoffius iure adnotat, intellegenda sunt de tempore, quod est inter mortem et resurrectionem, rectius videor dicere inter priorem resurrectionem et alteram. Quod enim litterarum sanctarum loco aliquo[2]) praecipitur de mortuis, fore ut martyres quique sancte vixerint homines cum Christo per mille annos imperium habeant, (quam esse *ἀνάστασιν τὴν πρώτην*), ceteri vero non sint in vita usque dum iudicium fiat de cunctis hominibus, plerosque antiquioris aevi scriptores ecclesiasticos defendisse atque accuratius exsecutos esse nemo ignorat. Cum vero hoc nequaquam constaret inter veteres rerum divinarum scriptores, quae esset in illo temporis spatio mortuorum condicio, hac certe re plerorumque in unum congruerunt sententiae, illum apocalypsis locum *οἱ λοιποὶ τῶν νεκρῶν οὐκ ἔζησαν ἄχρι τελεσθῇ τὰ χίλια ἔτη* non ita accipiendum esse ad verbum, ut animas omnino non vivere, non sentire, non affici doloribus apostolus significet. Tertullianus verbi causa »cur enim, inquit,[3]) non putes animam et puniri et foveri in inferis interim sub exspectatione utriusque iudicii in quadam usurpatione et candida eius?« atque »novit et apud inferos anima et dolere et gaudere sine carne.« Similiter Irenaeus:[4]) *Αἱ ψυχαὶ ἀπέρχονται εἰς τὸν τόπον τὸν ὡρισμένον αὐταῖς ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, κἀκεῖ μέχρι τῆς ἀναστάσεως φοιτῶσι, περιμένουσαι τὴν ἀνάστασιν·* Iustinus denique[5]) censet *τὰς μὲν τῶν εὐσεβῶν (ψυχὰς) ἐν κρείττονί ποι χώρῳ μένειν, τὰς δὲ ἀδίκους καὶ πονηρὰς ἐν χείρονι, τὸν τῆς κρίσεως ἐκδεχομένας χρόνον τότε.* Quodcum hoc titulo illud mille annorum spatium *βίος ἀναίσθητος* vocetur, Bonifacius ad Iohannis sententiam videtur propius accessisse, a doctoribus ecclesiae abhorruisse. Tamen secum dissentit homo. Namque cum adiciat optare se, ut sibi detur in illo temporis spatio *κοίμησις*, his ipsis verbis

1) n. 9474. 2) Apocal. 20, 4. 5. 3) De anima. c. 58. 4) V, 31 p. 331. 5) Dial. c. Tryphone § 5.

comprobat non omnino esse *βίον ἀναίσθητον*, sed cum alii dormiant sensuque careant, alios aliquid sentire; cunctos enim si arbitraretur sensus expertes esse, non peteret a Deo, ut ipse dormiret. At hanc quoque sententiam Tertullianus diserte docet reprobandam esse, cum »Quid ergo fiet, inquit, in tempore isto? dormiemus? At enim animae nec in viventibus dormiunt; corporum enim est somnus, quorum et ipsa mors cum speculo suo somno.« Itaque cum hac quoque re, quod mortuorum parti *κοιμᾶσθαι* licere existimat per illos mille annos, Bonifacius discrepet ab orthodoxis qui vocantur scriptoribus, ad haeretica pro illa aetate studia eum delapsum esse censemus. Ceterum cum hanc sententiam, duas fore resurrectiones, post Lactantium ab omnibus fere desertam esse constet, de igni vero purgatorio, quae posteriorum saeculorum fuit ratio, verba *βίος ἀναίσθητος* nullo modo accipi possint, hunc titulum, quem Kirchhoffius quidem ad saecula p. Chr. quartum vel quintum pertinere affirmat, ad quarti potius initium rettulerim.

Ut hic, sic alius quoque cuius iam mentio est facta titulus propter haereticam quam exhibet sententiam dignus est, de quo agamus. Florentiae enim fragmentum repertum est, anno p. Chr. 458 conscriptum,[1]) cuius si quidem recte a Kirchhoffio restituta sunt verba, hoc est initium:

Ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ ἀναπαύεται τὸ πνεῦμα τοῦ δεῖνα.

Quibus verbis cum mortui mens declaretur in sepulcro quiescere, huius tituli auctor nescio an studuerit Thnetopsychitarum qui vocantur doctrinae, quos Eusebius[2]) credere tradit »*τὴν ἀνθρωπείαν ψυχὴν τέως μὲν κατὰ τὸν ἐνεστῶτα καιρὸν ἅμα τῇ τελευτῇ συναποθνήσκειν τοῖς σώμασι καὶ συνδιαφθείρεσθαι, αὖθις δέ ποτε κατὰ τὸν τῆς ἀναστάσεως καιρὸν σὺν αὐτοῖς ἀναβιώσεσθαι.* Tamen cum inscriptio sit admodum corrupta, certi nihil de hac re licet affirmare.

His duobus tertium adicimus titulum,[3]) quem non illum quidem ab haeretico sed ab homine pagano scriptum esse dixeris. Minime enim decuit Christianum quae initio tituli expressa est sententia:

Ὁ δεῖνα ἐνθάδε κεῖμαι αἰώνιον σκότος οἰκῶν.

Cum vero quamdiu defunctus in vita fuerit addatur, quem usum a paganorum moribus alienum fuisse constat, praeterea in coemeterio Christiano reperta sit inscriptio, Christianis eam adnumerandam esse arbitror. Videtur qui titulum composuit paullo ante a cultu idolorum defecisse, cumque paganorum opiniones nondum sibi excussisset radicitus, ad religionem Christianam transisse.

Ut autem revertamur ad titulos vere Christianos, resurrectionis non ita multi iique antiquioris solum aevi faciunt mentionem. Atque in lapide quidem Thessalonica Venetias

---

1) n. 9863. 2) VI, 37. 3) n. 9615.

transportato,[1]) quem Kirchhoffius in saeculo p. Chr. tertio vel etiam secundo ponit, cum *Καλόκαιρος* quidam dicitur parentibus exstruxisse *κοιμητήριον ἕως ἀναστάσεως*, apparet eam quam omnes fere illius aetatis scriptores ecclesiastici tuentur sententiam proferri, fore ut idem corpus, quod in terra humatum sit, de sepulcro insurgat. Praeterea duobus monumentis resurrectio commemoratur, altero Viennae Allobrogum reperto,[2]) hominis Syri, qui mortuus est anni p. Chr. 441 mensis Peritii die sexto, conditus die septimo *καὶ ἀναστήσεται ἐν τῇ ἡμέρᾳ Χριστοῦ ἐρχομένου*, altero Tamer episcopi[3]), cuius verba.. *καὶ ἀνάστασιν*, quoniam quae praecedunt Coptica lingua composita videntur esse, quo pertineant non liquet.

Contra de summo Dei iudicio recentissimi potissimum tituli agunt, ut Messanius ille nescio quis, qui anno p. Chr. 1199 de vita migravit, respiciens illam quam de ovibus hircisque Christus edidit parabolam, superstites ut pro se preces faciant obsecrat, quibus liberetur peccatorum poena:[4])

σὺ δ' ὅστις εἶ καὶ τόνδε τὸν τάφον βλέπεις,
τὸ τοῦ βίου μάταιον ἔνθα μανθάνων
τοῦ τεθνεῶτος ὑπερεύχου προφρόνως,
ὅπως λύσιν εὕροιτο τῶν ἐπταισμένων
καὶ στάσεως τύχοιτο τῆς δεξιτέρας
ἐν τῇ δικαίᾳ τοῦ θεοῦ φρικτῇ κρίσει.

Eodem modo Theosterictus precatur, ut superstites edant

εὐχὰς.. ξύμπαντες ἱκετηρίους
τῷ τὴν φύσιν μέλλοντι τῶν βροτῶν κρῖναι,
ἵν' ἵλεων εὕροιμι καὶ πρὸ τῆς δίκης
καὶ βασάνων φύγοιμι τὴν καταδίκην.[5])

Quae verba maxime notanda sunt propterea quia etiam ignis purgatorius eis commemoratur. Cum enim mortuus deprecetur primum ut propitius sibi sit iudex supremus, deinde ut effugiat *πρὸ τῆς δίκης καὶ βασάνων τὴν καταδίκην* hoc est cruciatus quoque, qui ante iudicium accidant, his verbis ignem quem dixi significatum esse apparet.

Georgius denique, cuius saepius mentio est facta, in elogio, quod ipse sibi scripsit in fine saeculi duodecimi, posteaquam obtestatus est superstites et per triplicem Dei naturam et per Iasonem atque Sosipatrum, quos Kirchhoffius adnotat Corcyrae insulae fuisse *κήρυκας* i. e. evangelistas, ut ossa sua inviolata manerent, comminatur Dei iram die extremo exarsuram:[6])

μετὰ τελευτὴν καὶ τὴν ἐν τάφῳ θέσιν...
χόνις ἀμυδρὰ τῶν ταπεινῶν ὀστέων

---

[1]) n. 9439. [2]) n. 9886. [3]) n. 9121. [4]) n. 9540. [5]) n. 9544. [6]) n. 9438.

ἄμικτος ἔστω, μὴ πρὸς ἄλλοις ὀστέοις
δυςδιάκριτον ἀπολάβῃ τὴν θέσιν.
ἆρ' οὐχὶ παράσχοισθε τὴν μικρὰν χάριν;
ἆρ' οὐχὶ ὑπάξοισθε τὸν βραχὺν λόγον;
ναὶ πρὸς τριάδος, ναὶ πρὸς αὐτῶν κηρύκων
τῶν προστατούντων τῆςδε τῆς ἐκκλησίας,
μηδεὶς παραλύσῃ μοι τὰ βουλητέα·
ἦ μὴν ὀφέξει τὴν ἐν ὑστέρῳ δίκην,
ἐπὰν ὁ κοινὸς καὶ κριτὴς καὶ δεσπότης
τὸ πλάσμ' ἐπανάξειεν εἰς θείαν κρίσιν.

Cuius rei quamquam etiam in Theosterícti quod modo attulimus monumento[1]) simile aliquid invenimus:

ὁ δὲ σπαράξας κἂν βραχύ μου τὸν τάφον
ἔκπτωτος ἔσται τῆς 'Εδὲμ κληρουχίας
καὶ τὰς ἀρὰς δέξαιτο τὰς τῶν πατέρων
καὶ χεὶρ θεοῦ ποίνιμος αὐτὸν προφθάσοι,

tamen has exsecrationes antiquioris aevi peculiares, posterioribus temporibus ab eis solum, qui veterum moribus studebant imitandis, usurpatas esse reliquis titulis luculentur demonstratur. Atque in coemeteriis quidem urbis nihil eiusmodi invenitur. Quod cur miremur non est. Namque cum coemeteriorum sepulcra saxis concludi solerent ita quidem ut praeter eos, qui a primo in eis humati erant, nemo posset imponi, superstites non habebant, cur violationi mortuorum occurrerent. Ceterarum vero quas antiquiores esse constat inscriptionum non paucae tale aliquid praebent, recentiorum praeter illa carmina ne *una* quidem.

Quod ut uberius explicemus, omissa inscriptione Mediolanensi[2]) a saeculo tertio, id quod litterae Σ forma declaratur, oriunda, qua mortuus *καταλείπει τῷ δεῖνα προςέχειν τῷ τόπῳ*, primum proponimus titulum Achaicum,[3]) quem ex antiquiorum numero esse inde apparet, quod superstites *Χριστιανοὶ ὄντες καὶ τὸν θεὸν φοβούμενοι* admonentur, ne quis sepulcrum aperiat:

μήτις τολμήσῃ ἀνοῖξαι τὸ
κοιμητήριον τοῦτο τὴν κρίσιν ἐν τῷ τέ-
λει τὴν φοβερὰν τοῦ θεοῦ δεδιότες.

Cetera in uno solum antiquioris aetatis titulo Dei iudicii extremi mentio fit: Phrygio,[4]) quem iam diximus a Franzio in paganorum numero referri:

ἑτέρῳ δὲ οὐδενὶ ἐξέσται τεθῆναι χωρὶς τῶν

---

1) n. 9544. 2) n. 9872. 3) n. 9298. 4) n. 3902 r.

προγεγραμμένων· ὃς δὲ ἂν ἐπιτηδεύσει,
ἔσται αὐτῷ πρὸς τὸν ζῶντα θεὸν καὶ νῦν
καὶ ἐν τῇ κρισίμῳ ἡμέρᾳ.

Cuius tituli de aetate quamquam certi quicquam affirmare non licet, tamen hoc ipsum, quod paganarum inscriptionum simillimam exhibet rationem, testimonio est, eum antiquiore aevo esse compositum.

Ab eadem ora qui oriundus est titulus n. 9266, quo quicunque infantium quorundam sepulcrum laeserit, ipse dicitur mox liberis orbatum iri:

Ὃς ἂν δὲ προσκόψῃ ξένος τῷ τύμβῳ
τούτῳ, ἄωρα τὰ τέκνα χώσει.

tertio quartove saeculo a Kirchhoffio tribuitur.

Deinde lapidem in Lycaonia repertum,[1]) qui et ipse habuit in fine exsecrationis formulam, primo ex versu: *ὁ θεὸς τῶν φυλῶν Ἰσραήλ* patet eis temporibus ortum esse, quo Iudaistae qui vocabantur florebant. Similia praebent tituli Meli in catacombis Christianorum reperti, quos tertii aut quarti saeculi esse Rossius iudicavit. Quorum alter[2]) haec habet:

Ὁρκίζω ὑμᾶς μὴ . . . ἐνθάδε κατάθηται
μηδένα πλέον ἐμοῦ τοῦ πρεσβυτέρου Μήλωνος,
εἰ μή τι τέκνον τῶν αὐτοῦ ἢ τὴν σύγγαμον,

alter[3]) valde est insignis, quod in hoc uno titulo commemoratur genius, quem veteres Christiani hominibus sanctis adesse arbitrabantur:[4])

ἐπεὶ γέμει τὸ θηκίον τοῦτο,
ἐνορκίζω ὑμᾶς τὸν ὧδε ἐφεστῶτα ἄγγελον,
μή τίς ποτε τολμῇ ἐνθάδε τινὰ καταθέσθαι.

Tum in quarto quintove saeculo a Kirchhoffio ponitur inscriptio in Salamine insula reperta,[5]) in qua devotionis formulae usitatae

Εἰ δέ τις τῶν ἰδίων ἢ ἕτερός τις τολμήσῃ
σῶμα καταθέσθαι ἐνταῦθα παρὲξ τῶν δύο
ἡμῶν, λόγον δώῃ τῷ θεῷ

adduntur verba deprompta e Pauli epistola priore ad Corinthios missa:[6]) *καὶ ἀνάθεμα ἤτω· μαραναθάν*, quae fere verba etiam in titulo n. 5292 satis mutilato legenda sunt.

Venimus ad titulum Acris Siciliae e cryptis erutum,[7]) qui ad saeculi quinti initium videtur pertinere:

---

[1]) n. 9270. [2]) n. 9289. [3]) n. 9288. [4]) Cf. Iustin. M. Apol. II, 5: *ὁ θεὸς τὸν πάντα κόσμον ποιήσας καὶ τὰ ἐπίγεια ἀνθρώποις ὑποτάξας . . . τὴν μὲν τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν ὑπὸ οὐρανὸν πρόνοιαν ἀγγέλοις, οὓς ἐπὶ τούτοις ἔταξε, παρέδωκεν.* [5]) n. 9303. [6]) I. Cor. 16, 21. [7]) n. 9473.

Τὸν δὲ θεόν σε, φίλε, μή μου σκύλλῃς
τὸν βόθρον, μή μοι δείξῃς φῶς. Ἂν
δὲ θελήσῃς φῶς μοι δεῖξαι, σοὶ τὸ φῶς
ὁ θεὸς χόλιον δώσει.

Cuius tituli quamquam non omnia verba dilucide scripta sunt, cum haec quidem quin a Kirchhoffio recte allata sint dubitari non possit, Piperus, qui hanc inscriptionem in vernaculam linguam translatam edidit,[1]) erravit cum legeret *τὸν δὲ θεὸν ἐφίλει.*[2]) Illud *φίλε* enim quamvis offendat tamen aliis quoque titulis praebetur, velut n. 9449:

Ἐνθάδε τὸν ἀγρήγορον ὕπνον καθεύδει,
φίλε, Εὐγνωμόνιος κτλ.[3])

Vel magis notanda sunt extrema verba, quibus cum huius tituli auctor *παρονομασίαν* cuperet afferre, male ei processit res; putide enim atque moleste Dei iram *τὸ φῶς χόλιον* dictam esse haud facile quisquam negaverit. Quae denique antecedunt verba: *τὸν θεόν σε* ut saepe supplenda sunt vocabulo *ἐνορκίζω* similibus; eundem in modum etiam brevius omissa formulae conclusione legitur in inscriptione Graeca tertio saeculo composita:[4]) *τὸν θεὸν ὑμῖν τὸν ἐπουράνιον.*

Restant duo tituli, quos ut ex ipsis nihil conici liceat de aetate, aliis causis adducimur ut remotioris aevi esse censeamus. Alter enim, Catanae repertus,[5]) cum omnes fere inscriptiones Catinenses antiquioris aevi esse multis indiciis appareat,[6]) saeculo quarto vel quinto non videtur esse recentior. Alterum vero,[7]) Camaldoli conservatum, satis antiquum esse et inde patet, quod *τοποφύλαξ καὶ φόσσωρ* appellantur, quae nomina posterioribus saeculis in usu esse desierunt, et ea re, quod auctor inscriptionis nummos sese ait dedisse fossori ad exstruendum sepulcrum, id quod veteribus solum temporibus in titulis commemorari paullo post docebimus.

Quae cum ita sint, non dubitamus affirmare et insequentem titulum ibidem repertum,

---

[1]) Die Grabinschriften der alten Christen p. 36. [2]) »sie liebte aber Gott.« [3]) Recentioris aevi tituli ut sunt turgidi atque efflati, nudae illius compellationis loco copiosa verba praebent, cuius rei ut unum exemplum afferam, inscriptio Messania (n. 9540) hoc modo incipit:

Τὸν ναὸν ὅστις τοῦτον εἰςίεις, ξένε,
δεῦρο πρόςελθε, τόνδε τὸν τάφον σκόπει.

[4]) n. 9294. [5]) n. 9513. [6]) Titulos n. 9474. 9475 Kirchhoffius, ad saecula quartum vel quintum ait referendos esse, n. 9476 vel ad tertium pertinere; n. 9477 idem vir doctus satis vetustum esse iure censet; deinde n. 9478 anno p. Chr. 408 compositus est, eiusdem sunt auctore Kirchhoffio vel subaequalis aetatis tituli qui sequuntur omnes (n. 9479—9487); n. 9488 tertio saeculo V. Cl. tribuit, n. 9490 autem, 9491, 9492, 9494 apposito monogrammate satis antiqui declarantur; n. 9496 propter Σ litterae figuram in tertio saeculo est ponendus; tum n. 9498 antiquissimum esse apparet e verbis *φιλόχριστος, πιστός, πολυπόθητος παρὰ ἀδελφῶν*; n. 9505 denique apposito piscis signo, n. 9507 verbis *ἐποίησαν εὐσεβεῖς* cognoscitur primis p. Chr. saeculis editos esse. [7]) n. 9546.

qui similem videtur exhibuisse exsecrationis formulam, illius aequalem esse et Romanum quendam[1]) qui praebet formulam: *εἴ τις τὰ ὀστᾶ μου σκυλεῖ, ἔσται αὐτῷ πρὸς τὴν ἐπερχομένην ὀργήν.*[2])

Sed satis de exsecrationibus. Placet eam rem, quam modo leviter adstrinximus, paullo accuratius contemplari. Ut enim exsecrationes ita alius quoque mos, qui paganorum proprius videretur, pedetentim ab usu remotus est, dico eum, quem veteres raro omiserunt, ut quis monumentum collocasset litteris mandarent. Quem morem quotquot horum de quibus disserimus titulorum servarunt, omnes fere antiquioris aevi esse statim apparebit.

Primum enim e coemeteriis urbis tituli huncce in modum compositi ad sexaginta sunt eruti; tum sepulcrum habemus Cyrenense,[3]) quod cum e verbis *οὗτοι ἐτελεύτησαν ἐπὶ Λἰβουτίου Λόγγου διωγμοῦ γενομένου* ante Constantinum collocatum esse pateat, iure a Kirchhoffio »venerandae antiquitatis titulus« appellatur. Deinde titulorum Syriacorum unum[4]) e nominum indicio, alterum[5]) e formula *τῆς ἁγίας Σιών*, de qua uberius V. Cl. disserit ad n. 9143, Kirchhoffius conicit ad saecula quartum vel quintum pertinere, tertius[6]) subaequalis videtur esse. Tum e titulis Phrygiis, quis monumentum posuerit, tribus traditur. Ac duo quidem[7]) quarto tertiove saeculo a Kirchhoffio tribuuntur, tertius[8]) vero, quem ad saeculum septimum referendum esse idem V. Cl. e versuum ratione colligit, ob hoc ipsum, quod versibus compositus est, ad rem de qua agimus nullo loco est numerandus. Deinde in Lycaonia qui reperti sunt tituli[9]) a Kirchhoffio in saeculo quarto aut quinto ponuntur; titulum n. 9285 autem et ipsum Asiaticum et propter nominum antiquitatem et ob orationis simplicitatem ad prima saecula patet pertinere. Catinenses denique inscriptiones[10]) satis vetustas esse paullo ante expositum est.

---

1) n. 9802. 2) Haec formula, quam excepto hoc titulo Romano in sola Phrygia repperi, cum Christianorum peculiaris videatur esse, complures Phrygiae titulos in C. I. G. volumine tertio editos in Christianorum numero referre licebit: n. 3890. 3902 f. 3902 n. 3902 o. 3962 b. 3980, quorum nullus habet quicquam, quod Christianum hominem dedeceat. Ac vel n. 3963 non video cur propter paganam quae addita est formulam *καὶ θήσει εἰς τὸ ἱερώτατον ταμεῖον κτλ.*, Christianis eximatur, quoniam paganorum loquendi rationem paullatim abolitam esse compluribus iam ostendimus exemplis. Accedunt n. 3999 propter *πρεσβύτερος* vocem, n. 4462, cuius verbis *εἷς θεὸς μόνος ὁ σώζων* ipse Franzius adductus est ut titulum Christianum esse posse censeret; n. 4580, cui crucis signum appositum est; n. 4598, cuius verba *ἀείζωος θεὸς* Welckero Christianum hominem prodere videri Franzius adnotat; deinde n. 4599 nescio an ab eodem Basso, qui tituli antecedentis auctor fuit, compositus sit, tituli n. 4703 autem primi versus:

Ἰνῶθι μετ' εὐσεβέεσσι σαόφρονα Δωρίδα κεῖσθαι
ἀντ' ἀρετῆς ἱερὸν χῶρον ἀνευρομένην.

mea quidem sententia ab homine pagano non potuerunt componi; n. 4954 denique Franzius recte ait e *πιστὸς* verbo Christianum esse titulum conicere licere. 3) n. 9136. 4) n. 9144. 5) n. 9139. 6) n. 9138. 7) n. 9263. 9266. 8) n. 9267. 9) n. 9268. 9269. 10) n. 9477. 9485. 9488. 9507.

Sunt quidem non pauci eiusmodi tituli, quorum de aetate certi quicquam non cognoscatur.[1]) E quibus cum ne unum quidem ut recentiorem iudicemus ulla causa cogamur, nonnullos aliis iam locis probaverimus remotioris aevi esse, non temerarium videtur, cunctos antiquiori aetati tribuere.

Iam vero ut a quibus potissimum monumenta collocata sint inquiramus, plerumque scilicet parentes liberis, filii filiaeve parentibus sepulcra exstruebant. Velut Lugduni hanc habemus inscriptionem:[2])

Σεπτιμία Ἰουλιανὴ νηπία ἐτῶν γ̄ μηνῶν β̄
ἡμερῶν κ̄ κοιμηθεῖσα . . . ἐνθάδε κεῖται. Σεπτί-
μιος . . . καὶ Σεπτιμία Ῥουφῖνα γονεῖς τέκνῳ
γλυκυτάτῳ ἔστησαν.

Brevius eadem titulus Romanus declarat:[3])

Διδύμῳ γλυκυτάτῳ οἱ γονεῖς.

Ibidem e coemeterio Callisti et Praetextati erutus est hic lapis:[4])

Μνήμης χάριν γονεῦσι ἁγνοῖς, Τρυφέρῳ
πατρὶ καὶ Ἀριστοκράτῃ μητρὶ Ἀγαθοκλία
καὶ Νίκῃ θυγατέρες καὶ Ἀγαθοκλῆς υἱός.

Deinde non raro fratres sororesque aut coniuges superstites monumenta mortuis collocabant, ut Romae in coemeterio Cyriacae:

Πίστις τῷ ἰδίῳ ἀδελφῷ μνήμην ἀνέθηκεν.[5])

ibidem:

Φιλιππιανὸς ἀδελφῷ ἀσυγκρίτῳ καὶ
ἐπιζητητῷ μνήμης χάριν ἐποίησεν.[6])

in coemeterio Thrasonis et Saturnini:

Μάρκῳ Αὐρηλίῳ συμβίῳ ἐπιζητητῷ Σαβινιανή.[7])

in coemeterio Tertullini:

Τῇ κυρίᾳ καὶ ἀειμνήστῳ συμβίῳ Μαρκίᾳ . . .
Ἀλυπίων ἐποίησεν.[8])

Etiam complures propinquos rem suscepisse docet titulus Cyrenensis,[9]) quem Demetriae cuidam et filiolo eius posuerunt

Κάλλιππος ὁ ἀνὴρ αὐτῆς καὶ ἑκυρὸς αὐτοῦ
Γάιος καὶ γαμβρὸς αὐτοῦ Πολύβουλος.

Tum saepissime aliquis sese emisse sibi suisque sepulcretum litteris mandat, ut Romae:

---

[1]) n. 9450. 9504. 9534. 9546. 9547. 9888. [2]) n. 9888. [3]) n. 9564. [4]) n. 9648. [5]) n. 9620. [6]) n. 9615. [7]) n. 9708. [8]) n. 9586. [9]) n. 9136.

῎Αγατος Ἀργολικὸς ἑαυτῷ καὶ Ἀγάτῳ
Ῥουφίνῳ ἀδελφῷ καὶ τοῖς ἰδίοις ἐποίησεν.[1])

ibidem: *Αὐρήλιος ἰατρὸς ἀπὸ ... κοίλης*
Συρίας τοῦτον τὸν τύμβον ἐποίησα ἑαυτῷ
ἐκ τῶν ἰδίων μου καμάτων.[2])

Praeter haec creberrima titulorum genera nonnulli singulare aliquid praebent velut **quod Romae** mulier nutrici collocavit monumentum:[3])

Ἐνθάδε Παυλεῖνα κεῖται μακάρων ἐνὶ χώρῳ
ἣν κήδευσε Πακᾶτα, ἑὴν θρέπτειραν
γλυκερήν, ἁγίαν ἐν Χριστῷ.

atque inscriptio ex eodem Priscillae coemeterio effossa, quam patrono vernae dedicaverunt:[4])

Ὀνόματα θρεπτῶν· Αὐρήλιος Ῥόδων,
Αὐρηλία Ἀσκληπιάς. Πατρώνῳ Αὐρηλίῳ
Μαρκιανῷ ἐποιήσαμεν μνείας χάριν.

aut monumentum indidem erutum, quod ab ipso patrono videtur positum esse:[5])

Ἰανουαρίῳ θρεπτῷ.

Condiscipulo denique aliquis exstruxit sepulcrum in coemeterio Thrasonis et Saturnini repertum:[6])

Ὄβριμος Παλλαδίῳ, γλυκυτάτῳ
ἀνεψιῷ, συσχολαστῇ, μνήμης χάριν.

Venimus ad tertium aliquid, quod cum antiquioribus temporibus usitatissimum fuisset postea ab usu remotum est: acclamationes, nativam, ut de Rossii utar verbis,[7]) elegantiam ac priscum saporem referentes. Praeter illas formulas, quas saepius attulimus: *μνήμης χάριν, μνήμης ἕνεκα, μνείας χάριν, προγονικῆς φήμης χάριν*, sexcenties legitur *εἰρήνη σοι* aut *ἐν εἰρήνῃ* vel *εἰς εἰρήνην* nudumque *εἰρήνη*; deinde *ἐν εἰρήνῃ κοίμησις αὐτοῦ, ἐν εἰρήνῃ (εἰς εἰρήνην) σου τὸ πνεῦμα, ἐν εἰρήνῃ ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, ἐν εἰρήνῃ προάγει; εὖ κεῖται μετὰ εἰρήνης, εἰρήνη σοι ἤτω, εἰρήνη μενέτω σοι ἐν κυρίῳ, εἰρήνη σοι ἐν οὐρανῷ; εἰς ἀνάπαυσίν σου ἡ ψυχή, τὸ πνεῦμά σου εἰς ἀνάπαυσιν*; tum *ζῇ, ζήσεις (ζήσετε), ζῇ ἐν θεῷ, εἰς θεὸν ζῇς, ἐν θεῷ (κυρίῳ) ζήσεις, ζῇς ἐν θεῷ κυρίῳ Χριστῷ*; deinde *εὐμοίρει, εὐψύχει, θάρρει; εὐψύχει, οὐδεὶς ἀθάνατος; μὴ λυποῦ, οὐδεὶς ἀθάνατος; εὐτυχοῖ; Χριστὸς μετά σου, Χριστὸς μετὰ τοῦ πνεύματός σου, χαρὰ ὑμῖν ἐν θεῷ, σώσῃ ὁ θεὸς τὴν ψυχὴν ὑμῶν.* Cumque talibus verbis plerumque mortui appellentur, saepius e contrario superstitibus defuncti aliquid adhortationis vel consolationis relinquunt, velut *ἴσχετε ἐν εἰρήνῃ, εἰρήνη*

[1]) n. 9664. [2]) n. 9777. [3]) n. 9696. [4]) n. 9695. [5]) n. 9701. [6]) n. 9702.
[7]) Inscr. Christ. urb. Romae. Vol. I. p. CX.

Sunt quidem non pauci eiusmodi tituli, quorum de aetate certi quicquam non cognoscatur.[1]) E quibus cum ne unum quidem ut recentiorem iudicemus ulla causa cogamur, nonnullos aliis iam locis probaverimus remotioris aevi esse, non temerarium videtur, cunctos antiquiori aetati tribuere.

Iam vero ut a quibus potissimum monumenta collocata sint inquiramus, plerumque scilicet parentes liberis, filii filiaeve parentibus sepulcra exstruebant. Velut Lugduni hanc habemus inscriptionem:[2])

Σεπτιμία Ἰουλιανὴ νηπία ἐτῶν γ̄ μηνῶν β̄
ἡμερῶν κ̄ κοιμηθεῖσα . . . ἐνθάδε κεῖται. Σεπτί-
μιος . . . καὶ Σεπτιμία Ῥουφῖνα γονεῖς τέκνῳ
γλυκυτάτῳ ἔστησαν.

Brevius eadem titulus Romanus declarat:[3])

Διδύμῳ γλυκυτάτῳ οἱ γονεῖς.

Ibidem e coemeterio Callisti et Praetextati erutus est hic lapis:[4])

Μνήμης χάριν γονεῦσι ἁγνοῖς, Τρυφέρῳ
πατρὶ καὶ Ἀριστοκράτῃ μητρὶ Ἀγαθοκλία
καὶ Νίκῃ θυγατέρες καὶ Ἀγαθοκλῆς υἱός.

Deinde non raro fratres sororesque aut coniuges superstites monumenta mortuis collocabant, ut Romae in coemeterio Cyriacae:

Πίστις τῷ ἰδίῳ ἀδελφῷ μνήμην ἀνέθηκεν.[5])

ibidem:

Φιλιππιανὸς ἀδελφῷ ἀσυγκρίτῳ καὶ
ἐπιζητητῷ μνήμης χάριν ἐποίησεν.[6])

in coemeterio Thrasonis et Saturnini:

Μάρκῳ Αὐρηλίῳ συμβίῳ ἐπιζητητῷ Σαβινιανή.[7])

in coemeterio Tertullini:

Τῇ κυρίᾳ καὶ ἀειμνήστῳ συμβίῳ Μαρκίᾳ . . .
Ἀλυπίων ἐποίησεν.[8])

Etiam complures propinquos rem suscepisse docet titulus Cyrenensis,[9]) quem Demetriae cuidam et filiolo eius posuerunt

Κάλλιππος ὁ ἀνὴρ αὐτῆς καὶ ἑκυρὸς αὐτοῦ
Γάιος καὶ γαμβρὸς αὐτοῦ Πολύβουλος.

Tum saepissime aliquis sese emisse sibi suisque sepulcretum litteris mandat, ut Romae:

---

1) n. 9450. 9504. 9534. 9546. 9547. 9888. 2) n. 9888. 3) n. 9564. 4) n. 9648.
5) n. 9620. 6) n. 9615. 7) n. 9708. 8) n. 9586. 9) n. 9136.

Ἄγατος Ἀργολικὸς ἑαυτῷ καὶ Ἀγάτῳ
Ῥουφίνῳ ἀδελφῷ καὶ τοῖς ἰδίοις ἐποίησεν.[1])

ibidem: *Αὐρήλιος ἰατρὸς ἀπὸ... κοίλης*
Συρίας τοῦτον τὸν τύμβον ἐποίησα ἑαυτῷ
ἐκ τῶν ἰδίων μου καμάτων.[2])

Praeter haec creberrima titulorum genera nonnulli singulare aliquid praebent velut quod Romae mulier nutrici collocavit monumentum:[3])

Ἐνθάδε Παυλεῖνα κεῖται μακάρων ἐνὶ χώρῳ
ἣν κήδευσε Παχᾶτα, ἑὴν θρέπτειραν
γλυκερήν, ἁγίαν ἐν Χριστῷ.

atque inscriptio ex eodem Priscillae coemeterio effossa, quam patrono vernae dedicaverunt:[4])

Ὀνόματα θρεπτῶν· Αὐρήλιος Ῥόδων,
Αὐρηλία Ἀσκληπιάς. Πατρώνῳ Αὐρηλίῳ
Μαρκιανῷ ἐποιήσαμεν μνείας χάριν.

aut monumentum indidem erutum, quod ab ipso patrono videtur positum esse:[5])

Ἰανουαρίῳ θρεπτῷ.

Condiscipulo denique aliquis exstruxit sepulcrum in coemeterio Thrasonis et Saturnini repertum:[6])

Ὄβριμος Παλλαδίῳ, γλυκυτάτῳ
ἀνεψιῷ, συσχολαστῇ, μνήμης χάριν.

Venimus ad tertium aliquid, quod cum antiquioribus temporibus usitatissimum fuisset postea ab usu remotum est: acclamationes, nativam, ut de Rossii utar verbis,[7]) elegantiam ac priscum saporem referentes. Praeter illas formulas, quas saepius attulimus: *μνήμης χάριν, μνήμης ἕνεκα, μνείας χάριν, προγονικῆς φήμης χάριν*, sexcenties legitur *εἰρήνη σοι* aut *ἐν εἰρήνῃ* vel *εἰς εἰρήνην* nudumque *εἰρήνη*; deinde *ἐν εἰρήνῃ* [illegible] *αὐτοῦ, ἐν εἰρήνῃ (εἰς εἰρήνην) σου τὸ πνεῦμα, ἐν εἰρήνῃ ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, ἐν εἰρήνῃ* [illegible] *εὖ κεῖται μετὰ εἰρήνης, εἰρήνη σοι ἤτω, εἰρήνη μενέτω σοι ἐν κυρίῳ, εἰρήνη σοι ἐν* [illegible] *εἰς ἀνάπαυσίν σου ἡ ψυχή, τὸ πνεῦμά σου εἰς ἀνάπαυσιν*; tum *ζῇ, ζήσεις* (*ζήσεις* [illegible] *θεῷ, εἰς θεὸν ζῇς, ἐν θεῷ (κυρίῳ) ζήσεις, ζῇς ἐν θεῷ κυρίῳ Χριστῷ*; deinde [illegible] *εὐψύχει, θάρρει; εὐψύχει, οὐδεὶς ἀθάνατος; μὴ λυποῦ, οὐδεὶς ἀθάνατος;* [illegible] *μετά σου, Χριστὸς μετὰ τοῦ πνεύματός σου, χαρὰ ὑμῖν ἐν θεῷ,* [illegible] *ὁ θεὸς* [illegible]
Cumque talibus verbis plerumque mortui appellentur, saepius e contrario [illegible] defuncti aliquid adhortationis vel consolationis relinquunt, velut [illegible]

---

1) n. 9664. 2) n. 9777. 3) n. 9696. 4) n. 9695. 5) n. [illegible]
7) Inscr. Christ. urb. Romae. Vol. I. p. CX.

ὑμῖν πᾶσιν ἐν θεῷ, εἰρήνη τοῖς προάγουσιν πᾶσιν ἀπὸ τοῦ θεοῦ, εἰρήνην ἔχετε ἀδελφοί.

Dignissimae autem sunt quae animo perlustrentur preces, quas acclamationum loco plurimas in his titulis iisque antiquioribus potissimum habemus. Sexcenties enim Deus vel Christus ut commisereantur mortuorum implorantur hoc modo: *μνησθῇ σου ὁ κύριος; μνησθῇ τοῦ δεῖνα Ἰησοῦς ὁ κύριος; μνησθῇ ὁ θεὸς τοῦ δεῖνα; μνησθῇ αὐτοῦ ὁ θεὸς εἰς τοὺς αἰῶνας; μνησθῇ κύριος τῆς κοιμήσεώς σου; μνήσθητι, κύριε, τῆς κοιμήσεως τοῦ δεῖνα; ἀρίθμησον αὐτὸν ὁ θεὸς μετὰ τῶν ἁγίων δεξάμενος τὸ πνεῦμα; κύριε ὑπόμνησον τοῦ δούλου σου; κύριε πολυέλεε, μνήσθητι ὅταν ἔλθῃς τῆς ψυχῆς τῆς δούλης σου; ὁ θεὸς ἀναπαύσῃ τὴν ψυχήν σου μετὰ τῶν δικαίων; κύριε μνήσθητι τοῦ ἐντὸς τοῦ σπηλαίου τούτου; τοῦ δεῖνα ἡ ψυχὴ σωζέσθω.*

Cum vero his exemplis superstites pro mortuorum salute preces fundere solitos esse demonstretur, nonnunquam e contrario defuncti ut pro superstitibus precationes faciant rogantur. Quem morem cum Dryander in dissertatione quam diximus recentioris aevi proprium esse censet, in coemeteriis inscriptiones, in quibus superstites deprecatoribus utantur defunctis inveniri negat,[1]) fieri non potest ut ei adstipuler. Obstant enim complures tituli. Primum in coemeterio Callisti reperta est haec inscriptio:[2])

Κατάθεσις τῇ πρὸ ιγ̄ καλανδῶν Ἰουνίων.
Αὐγένδε, ζήσῃς ἐν κυρίῳ καὶ ἐρώτα ὑπὲρ ἡμῶν.

deinde e coemeterio Agnetis lapis erutus est, quem, cum appositum sit ancorae signum, auctore Krausio antiquissimo aevo tribuere haud dubitaverim:[3])

Διονύσιος νήπιος ἄκακος ἐνθάδε κεῖται
μετὰ τῶν ἁγίων. Μνήσκεσθε δὲ καὶ
ἡμῶν ἐν ταῖς ἁγίαις ὑμῶν προσευχαῖς
καὶ τοῦ γλύψαντος καὶ γράψαντος.

Plurimum scilicet cum omnes homines integri tum infantes culpa carentes posse existimabantur ad Dei iram precibus placandam. Itaque etiam in lapide Velitris reperto, quem Kirchhoffius adnotat fortasse e coemeteriis urbis translatum esse,[4]) parentes filiolum mollissimis verbis implorant:

Ἀνατόλιε, ἡμῶν πρωτότοκον τέκνον,
ὅστις ἡμῖν ἐδόθης πρὸς ὀλίγον χρόνον,
εὔχου ὑπὲρ ἡμῶν.

in Sicyonio autem quarti saeculi titulo[5]) Nicostratus, quem summis laudibus efferri supra ostendimus, dicitur *τοῦ δεσπότου Χριστοῦ προςέρχεσθαι ὑπὲρ πατρὸς καὶ ἀδελφῶν.* Quod

[1]) l. l. p. 84: »Das Märtyrergrab war der Altar, um den betend und feiernd die Gemeinde sich schaarte. Nicht dass man den Geschiedenen um seine Fürbitte angerufen hätte, wie wir's droben in St. Peter gesehen; man betet vielmehr für seine Seele.« [2]) n. 9673. [3]) n. 9574. [4]) n. 9545. [5]) n. 9301.

denique ad saecula VI—VIII pertinere Kirchhoffius censet monumentum Graecum, Euphemiae cuidam positum,[1]) haec exhibet verba:

Πρεσβείαις αὐτῆς ὁ θεὸς ἐλέησον
τοὺς ἀδελφοὺς αὐτῆς ... καὶ φύλαξον
προνοίᾳ τῇ ἁγίᾳ σου τὸν ἀνεψιὸν αὐτῆς.

Praeter quinque hos titulos, e quibus cum quattuor antiquissimi aevi esse appareat iure videor Dryandro adversatus esse, duo recentioris aetatis de mortuorum precibus agunt. Quorum alterum, quod Panormi collocatum est Georgii matri, *σεμνῇ μοναχῇ*,[2]) his versibus finitur:

ὡς δ' εὐπρόςιτος πρέσβις ὑπὲρ τῶν τέκνων
λιτὰς προσάγει τῷ θεῷ παρρησίᾳ.

in altero, Messanio,[3]) Lucas archimandrites rogatur:

μνήσθητι παίδων πνευματικῶν ὠδίνων
ἐξιλεῶν τὸ θεῖον ὑπὲρ σῶν τέκνων.

Omnino posterioribus saeculis recte de Rossi[4]) »acclamationum,« inquit, »quarum nativum saporem supra laudavi, ultima paene sunt obliterata vestigia, earumque loco affectati sensus et inepta dictio rhetorum ferreae aetatis propria.« Cuius rei ut exempla proponamus, titulus Barberini repertus[5]) hoc modo incipit:

Παντὶ βροτῷ θνήσκειν πέπρωται τῇ τύχῃ·
πᾶν γὰρ τὸ ἐκ τῆς γῆς βεβλαστηκὸς πάλιν
ὁρῶν τὸν εἰς γῆν μητέρα τελοῦν δρόμον
ἐκ γῆς πεφυκὼς χοῦς γενέσθαι αὖ θέλων ...
ᾤκησα τύμβον ..

Simile aliquid praebet inscriptio illa Nicaena[6]), cuius neque versus primus:

Ὄναρ τὰ πάντα καὶ σκιὰ κοὐδὲν πλέον,

neque quae v. 7 exstant verba: *τάφον οἰκεῖ τῆς κατάρας χωρίον* hominem Christianum decere quisquam dixerit.

Ut vero illi tituli affectatas sententias exhibeant, at paene insulsus atque ineptus iudicandus est titulus Phrygius,[7]) quem Kirchhoffius propter verba *πιστεύσας θεῷ* in Christianorum numero ponendum esse suo iure censet. Quem qui scripsit, ut ipse se quam maxime laudaret, hos versus vilissimos composuit:

Τὸ ζῆν ὁ ζήσας καὶ θανὼν ζῇ τοῖς φίλοις,
ὁ κτώμενος δὲ πολλὰ μὴ τρυφῶν σὺν τοῖς φίλοις
οὗτος τέθνηκε περιπατῶν καὶ ζῇ νεκροῦ τρόπον.

1) n. 9448. 2) n. 9535. 3) n. 9539. 4) l. l. p. CXI. 5) n. 9865. 6) n. 9263. 7) n. 3964.

Pro dictis nonnunquam litterarum divinarum loci afferuntur ita tamen ut rarius ad verbum transscribantur (velut in titulo 9153 et Psalmi XXIII initium *Κύριος ποιμαίνει κτλ.* ad litteram concinit cum verbis LXX interpretum et Pauli epistolae prioris ad Corinthios missae versus quidam[1]) solo initio paullum immutato omnibus verbis expressus est), saepius sententia describatur, verba non conveniant *ἀρχετύπῳ*. In Bonifacii Catinensis monumento, ut exemplo utar, versus e Pauli epistola ad Romanos scripta deprompti[2]) hoc modo allati sunt: *Ἡ τῶν πολλῶν θλίψεων ὑπομονὴ ἐλπίδα σωτηρίας κατεργάζεται.* Similiter cum Paulus in epistola altera ad Timotheum missa[3]) commonefaciat Christi *καταργήσαντος μὲν τὸν θάνατον, φωτίσαντος δὲ ζωήν*, nonnulli tituli Nubienses[4]) haec exhibent verba:

Ὁ θεὸς τῶν πνευμάτων καὶ πάσης σαρκός, ὁ
τὸν θάνατον καταργήσας καὶ ᾅδην καταπατίσας
καὶ ζωὴν τῷ κόσμῳ χαρισάμενος...

Insigne denique Hierii cuiusdam sepulcrum, qui Pauli verba, quibus Christianos ait iudicari *πάντων περίψημα*[5]) iam suum dictum fecisse suoque monumento inscribi videtur iussisse: *ἐγὼ περίψημα πάντων.*

Haec hactenus. Possumus nonnulla adicere de duobus monumentis maxime notandis, quorum alterum[6]) Flaviae cuidam Romanae, quae Valentinianorum addita fuit sectae, exstructum est, in altero,[7]) Augustoduni Galliae reperto, de coena Domini agi constat. Sed quoniam illud Kirchhoffius enarravit, de hoc cum alii viri docti tum Franzius libello de hac ipsa inscriptione composito uberius disputaverunt,[8]) satis habemus ea commemorasse disserendique facimus finem.

---

1) I. Cor. 15, 53. 2) Rom. 5, 3. 4.: *καυχώμεθα ἐν ταῖς θλίψεσιν εἰδότες ὅτι ἡ θλῖψις ὑπομονὴν κατεργάζεται, ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμήν, ἡ δὲ δοκιμὴ ἐλπίδα.* 3) II. Tim. 1, 10. 4) n. 9120. 9121. 5) I. Cor. 4, 13. 6) n. 9595 a. 7) n. 9890. 8) Christliches Denkmal von Autun. 1841.